AUTHOR: SCHUPPE, ERNST JULIUS WILHELM

TITLE: DE ANACOLUTHIS CICERONIANIS

PLACE: BERLINI

DATE: 1860

Master Negative #

91-80133-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Schuppe, Ernst Julius Wilhelm, 1836-
De anacoluthis Ciceronianis maxime in libris De officiis scriptis et Tusculanis disputationibus; dissertatio inauguralis philologica quam... publice defendet auctor Ernestus Julius Guilelmus Schuppe ... Berlini, typis expressit G. Lange, [1860]
109 p. 28½ cm.

Thesis, Berlin, 1860.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3.3.92   INITIALS M.D.C
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202















MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



DE ANACOLUTHIS CICERONIANIS

MAXIME

IN LIBRIS DE OFFICIIS SCRIPTIS ET TUSCULANIS DISPUTATIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLX.

H. XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS JULIUS GUILELMUS SCHUPPE.

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

F. ADAM, SEM. REG. SOD. ORD.

E. FRIEDLAENDER, CAND. PHIL.

H. RUEDORFF, REF. IUD. CAM.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

VIRO AMPLISSIMO

EDUARDO WENTZEL

GYMNASII CATH. GLOGAVIENSIS RECTORI

PRAECEPTORI MEO.

Si quis ea enuntiata quae anacolutha dici solent, sibi proposuerit tractanda, ei duplex suscipiendum esse munus censeo, alterum singula utrum scriptori an librarii alicuius neglegentiae debeantur anacolutha diiudicandi, alterum ea quae recte tradita sunt ita in ordinem redigendi ut gradatim progrediens aperiat — quoad eius fieri potest — quo progredi in ea orationis conformandae neglegentia in variis linguis licuerit. Quod utrumque munus cum obire constituissem, omnia quae inveniri possent anacolutha colligere eaque singula, librorum msptorum, dignitate ac fide perpensa, recensere ac diiudicare vires excessit. Primum igitur ut laborem mihi minuerem, eos tantum libros perscrutari decrevi qui longe plurima eaque cognitione dignissima praeberent eiusmodi enuntiata, a Cicerone de philosophia scriptos. Cum vero huic quoque labori me non parem esse viderem, hunc ei modum statui ut ex libris de officiis scriptis et ex Tusculanis, quidquid anacoluthi instar esset, colligerem eisque exemplis ea quae forte oblata essent (quae sunt multa) adiungerem. Quae quamquam paene omnia a commentatoribus criticisque adumbrata sunt, tamen cum nonnulla eorum aliter explicanda duxi, tum illud potissimum in animo habui, ut quae particulatim de ea re prolata essent, ea coniungerem, omnes quae inveniri possent anacoluthiae

species accurate distinguerem, itaque totum hoc dicendi genus certis finibus descriptum quasi uno conspectu complecterer. Quod ideo non supervacaneum esse putabam quod ii qui adhuc amplius de toto anacoluthorum genere disseruerunt, aut singulos potissimum locos diiudicandos habuerunt, specierum discrimina leviter tantum attingentes, aut si maiorem in definiendo dividendoque operam posuerunt, id quod voluerunt non prorsus adsecuti esse videntur. Atque qui primus omnes anacoluthiae species comprehendere studuit, vir celeberrimus, Aug. Matthiaeus, quamquam in fine disputationis (opusc. p. 74.)[1]) „Posui, ait, genera tantum rerum, ad quae qui hoc argumentum copiosius tractare volent, ea quae observarunt referre possint,“ maiorem tamen operam in exemplis congerendis diiudicandisque posuisse videtur, aliqua specierum discrimina quibus in illo exemplorum quasi silva tamquam itineris ducibus uterere, significasse contentus, quam in eleganter accurateque dividendo.

Nam primo loco id ponit anacoluthorum genus (opusc. p. 51.) cum alterum orationis bipertitae membrum, priore nonnullis adiectis explanato supprimitur, ita tamen ut eius sententia nonnumquam post longum intervallum aliis verbis exponatur eiusque has affert species, cum supprimitur „deinde“ praegresso „primum“, alterum „aut“ alterum „et“, „sed etiam“ post „non modo“. Deinde tamquam ad secundum genus transeat, (nam quot genera eorumque quas quotque species fecerit non indicavit) pergit (opusc. p. 59. W. anall. p. 6.). „In his locis hoc plerumque factum videmus ut pars enuntiationis ea quae priori parti respondere debuerat, ad ea verba referretur quae priori parti explicandi caussa adiecta erant, utque parenthesis quodam modo continuaretur. Sic alibi etiam ex interiectis verbis nectitur quod cum sententia primaria coniungendum erat ut etc.“, statimque exempla subiungit in quibus aperte altera enuntiati pars ex parenthesi nectitur. Tertio loco id genus ponere videtur (op. p. 64. W. anall. p. 15) cum ea quae iam dicta sunt, aliis verbis repetuntur, quarto (p. 69. W. anall. p. 23) cum a duobus membris quae ad unum idemque caput referri debebant alterum sententiam non aliunde pendentem constituit, quinto denique (p. 70. W. anall. p. 24) cum duae constructiones coniunctae reperiuntur. Primum ineleganter divisit Matthiaeus. Aperte enim, ut philosophorum sermone utar — dividendi principio usus est nullo. Deinde quartum et primum genus quo differrent non satis exposuisse videtur. Etiam de secundi et primi generis discrimine dubitari potest. Minime quidem dubitabitur si ipsa exempla respicientur, sed quae praemisit, tamquam alterum genus definiret, non satis accurata videntur. Porro duarum constructionum confusio quam quinti generis propriam esse voluit, vereor ne quodam modo in quovis anacolutho agnosci possit. Denique in hoc equidem maxime offendi, quod cum exorsus esset a membris orationis bipertitae turbatis atque dissolutis — anacoluthis in composito enuntiato factis — non vidit alterum ponendum fuisse genus eorum anacoluthorum quae in simplici enuntiato fierent. Optime igitur meritos esse de ea de anacoluthis quaestione censeo, qui primus illa genera distinxerit, v. cl. Gernhar-

[1]) Haec Matthiaei de anac. disputatio inest etiam Wolfii litt. anall. tom. II. a p. 1 ad. p. 25.

dum in exc. ad Cic. de off. libros p. 446 sic dicentem „Est autem in ea re et prior locutio consideranda quae alterius formam quandam frustra expectaverit, et posterior quae priori minus respondeat. Ac prior quidem enunciatio aut talis est ut, cum ipsa per se perfecta sit, tamen alteram sententiam velit ad suam formam esse accomodatam: aut si ipsa inchoata est finem expectat eum quo sua forma eo quo coeperat modo expleatur“, et qui eam divisionem accuratiorem reddiderit, v. cl. C. Rhodium (de anacol. maxime grammaticis in Cic. de or. libris. Vrat. 1833. p. 17) prioris illius generis anacoluthorum ea quae fierent in aequalibus sententiae membris turbatis ac dissolutis secernentem ab iis quae in sententiis secundariis fierent, aut primariae non recte respondentibus aut omnino suppressis. Is quamquam ob eam rem laude dignissimus iudicandus est, falsam tamen Gernhardi (l. l. p. 445) de tota anacoluthiae natura ac vi opinionem secutus, nonnulla protulit quae correctione indigere videantur.

Atque p. l. duplicem speciem anacolutha offerre dicit, cum aut in ipsius orationis qualitate caussa aliqua perspiciatur, cur ipsa admittantur, aut eiusmodi sola ratio deprehendatur quae in loquentis animo atque voluntate posita sit, quales sint vel motus animi vel ars oratoris vim aliquam captans, vel urbanitas scriptoris, vel spectata quaedam neglegentia. Hoc rhetoricum, illud grammaticum dicit anacoluthon. Grammatici species esse absolutum et relativum anacoluthon, rhetorici aposiopesin et variationem, quae immutatam enuntiatorum adiectionem exhibeat, ut cum Cic. in Verrinis dicat „non modo oppidum nullum, domus nulla etc“, aut in III de or. libro „non quo acui — nollem, sed contra -- obtundi nolui.“

Caussam grammatici anacoluthi, quam p. l. voluit esse in qualitate aliqua orationis, p. 2. dicit solam se videre illam quae interiectis quibusdam contineatur, quae cum scriptori longiora videantur, quam ut nullo perspicuitatis damno oratio eodem modo quo coepta fuerit, continuetur, admitti anacoluthon, quod si fiat, sententiae absolutionem, initio constructionis plus minusve neglecto se ad interposita applicare. Ut grammaticorum anacoluthorum vim ac naturam magis explicet, planum esse dicit (p. 5) in singulis gr. anac. latere aliquod scribentis consilium ad quod perficiendum inserviat externa orationis conditio eumque finem cum sit nec sola sermonis perspicuitas neque vero gr. et logica probabilitas, cui ille finis etiam contrarius intellegatur, nullum alium esse posse nisi rhetoricum aliquem i. e. venustatem orationis et gravitatem, ardorem animi atque studium, (velut Verr. I, 18 in.), indignationem (Verr. 3, 71. in. prov. coss. 4, in.) modestiam (Pla. 10, in.), in libris rhetoricis et philosophis variationis quoddam studium et curam ne constructio nimis ad amussim facta videatur, sed ut vivi sermonis formam quasi subitariam exprimat. Iam eorum enuntiatorum quae falso pro anacoluthis accipiantur, aut ne accipiantur cavendum sit, genera proponit. Primum praecedentium eadem constructione post interposita repetitionem pro anacolutho habendam esse negat. Deinde ellipsin seiungit, quam anacoluthi similem figuram dicit.

Breviloquentiam denique ab anacoluthis segregandam esse putat, qua omittatur quod e praecedentibus vel sequentibus intellegendum sit. Unde duas eius species fecit, quarum alteram tantum difficile esse dicit ab

anacoluthis distinguere. Tum singula utriusque breviloquentiae generis exempla pertractat.

Quibus enuntiatorum generibus segregatis pergit p. 15. „— ad naturam gr. anacoluthi accuratius perspiciendam hoc videtur posse intellegi, illam figuram cum breviloquentia quae dicitur, cui est omnium rerum simillima, ita esse comparandam ut cum utraque logicam si spectas, suppleri aliquid iubeat, auctor alteram admitteus expleri videatur voluisse, altera usus noluisse. Itaque fit breviloquentia nexu supplentium et supplendorum non obscurato, anacoluthon cum animus legentis audientisve huiusque imprimis, interiectorum vel longitudine vel ad similem eamque per se aptam structuram proclivitate a superioribus verbis abductus nil nisi sententiam perfici haud aegre patitur.“

Iam si quaeritur quid de ea anacoluthorum partitione statuendum sit, primum negari nequit aliqua anacolutha eo consilio admissa videri ut oratio fieret efficacior itaque rhetorica dici posse, velut quae ex Verrinis et III de or. libro Rhodius attulit et quod legitur in II de fin 115 „sed lustremus animo non has maxumas artes, quibus qui carebant inertes a maioribus nominabantur; sed quaero, num existumes, non dico Homerum etc., sed Phidiam etc., ad voluptatem artes suas direxisse.“ Aperte verbo „lustremus“ post remotionem illam („non has max.“) subiciendum erat „sed leviores illas“ vel tale quid. Plurima vero eorum quae talia esse dicit (p. 21) non intellego quemadmodum orationem nervosiorem vel graviorem reddidisse putari possint, velut de off. 1, 2, 6. 3, 8. 5, 16. 17. epp. Att. XII, 18. a. 2. pro Cluent. 45, extr. Catil. 2, 10, 21. Neglegentiae rectius datur fin. III, 15, 51.

„Quae autem aestumanda essent, eorum in aliis satis esse caussae, quamobrem quibusdam anteponerentur, ut in valetudine, ut iu integritate sensuum, ut in doloris vacuitate, ut gloriae divitiarum similium rerum etc.“ ubi Madvigius „manifesto tenetur ipsius Ciceronis in scribendo lapsus, nec orationis voluntaria declinatio, sed oblivio non voluntaria; nam quom ad alteram partem exemplorum pervenisset, in hoc ipso, ut ita dicam, cogitandi intervallo et quasi interpunctione, animo alias imagines complectente memoria fefellit, obiecitque obscuram speciem orationis aliter structae, velut (nam fingi multa possunt) „aliorum tanta est dignitas, ut quibusdam anteponantur, ut valetudinis etc.“ Quod fere idem dicendum est de II de off. 6, 21. „Quaecumque igitur hominis homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benevolentiae gratia faciunt, cum aliqua de caussa quempiam diligunt, aut honoris si cuius virtutem suspiciunt, quemque dignum fortuna quam amplissima putant, aut cui fidem habent, et bene rebus suis consulere arbitrantur; aut cuius opes metuunt aut contra a quibus aliquid expectant etc.“

Sic quoque quod in I de fin. 13, 46 legitur „quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa nec impensa expleantur. Ne naturales quidem multa desiderant, propterea etc.“ durissime dictum est non rhetorice, neque erat cur rhetorice ista diceret Cicero. Potuit sane ubi animum ad orationem recte conformandam attenderet eam, vel pluribus interpositis, eodem modo quo coeperat ad finem perducere, sed, quo animi habitu haec scripsit, non is erat, qui in oratione elaboranda elucubrandaque operam ponere vellet.

Ergo planum est cum perpauca esse anacolutha quae

rhetorica dici possint, tum, cum ea quae Rhodius immerito rhetorica dicit etiam a grammaticorum ratione prorsus abhorreant quia neque ex longitudine neque ex singulari aliqua vi interiectorum quae subsequentia sibi attrahat orta sint, totam hanc divisionem stare non posse.

Iam quod etiam in gr. anacoluthis Rhodius aliquod scribentis consilium latere putat ad quod perficiendum externa orationis conditio inserviat, primum ineptum est grammatici nomen, deinde quoniam idem utriusque anacoluthiae rhetoricus est finis, itaque hoc unum inter eas discrimen interesse videtur, quod in altera aliquid interpositum est, in altera nihil, quemadmodum accipi Rhodius ista voluerit non satis apparet. Cum vero ad rhetoricum finem perficiendum neque opus sit sententia intermedia, neque si qua interposita sunt, subsequentia inde suspendantur necesse sit, haec orationis qualitas gr. anacoluthi caussa dici nequit. Enimvero haec est occasio hanc anacoluthiae speciem (attractionem) admittendi. Applicatio vero quam dicit, non est aliqua anacoluthiae species. Nam si altera orationis pars quae cum priore coniuncta esse debebat, pluribus interpositis per se ponitur, ea non potest non quodammodo coniungi cum proxime superioribus (interpositis).

Sed illud maximum est quod Rh., cum gr. quoque anacoluthis rhetoricum finem imputasset, omne anacoluthon figuram esse dixit. Quod si verum est, quomodo explicandum sit, quod ea figura raro in orationibus, in libris de philosophia scriptis saepissime invenitur nescio. Quamquam Rh. (p. 5) dicit, id facillime explicari. Enimvero etsi probabile sit, quod in libris de philosophia scriptis tot tamque gravia anacolutha inveniuntur, variationis — ut ait — cuidam studio et curae ne constructio

nimis admussim facta videatur deberi — quamquam de cura ista rectissime dubitaveris — tamen quidni in orationibus ardor animi atque indignatio hac figura — si ea est — significatur?

Iam etsi aliquod variationis studium in nonnullis locis agnosci possit, de cura ista, quippe qua quaelibet orationis perversitas defendi possit, cogitari omnino nequit. Etenim plurima exempla ita sunt comparata ut nullo facilitatis istius comitatisque damno recta orationis structura potuerit retineri velut in II. N. D. 9, 23. „Sed quoniam coepi secus agere, atque initio dixeram, negaram enim hanc primam partem egere oratione, quod esset omnibus perspicuum deos esse, tamen id ipsum rationibus physicis confirmare volo.“ (v. huiusce libelli p. 82), alibi, aut manifestum sit aut ita se interpositis impedivisse scriptorem ut sententiam eadem constructione ad finem perducere non posset, velut in I. Acad. 40 „in qua primum de sensibus ipsis quaedam dixit (Zeno) nova; quos iunctos esse censuit e quadam quasi impulsione oblata extrinsecus quam ille φαντασίαν nos visum appellemus licet; et teneamus hoc verbum quidem; erit enim utendum in relicuo sermonis saepius. Sed ad haec quae visa sunt et quasi accepta sensibus, adsensionem adiungit animorum etc.“ v. h. l. p. 61 sq. de off. I, 153 „Principesque omnium virtutum illa sapientia, quam σοφίαν Graeci vocant, — prudentiam enim quam Graeci φρόνησιν, aliam quandam intellegimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia; illa autem sapientia quam principem dixi, rerum est divinarum et humanarum scientia in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Ea si maxima est etc.“ v. p. 101 aut orationis formam initio institutam

re vera sententiae non satis aptam fuisse, ut in IV de fin. 38 „Ut si cultura vitium, cuius hoc munus est ut efficiat, ut vitis cum omnibus partibus suis quam optime se habeat, — sed sic intellegamus (licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi caussa): si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa etc.“ Omitto quod „ut“ voculae non respondet „sic“. Sed hoc animadvertendum est ideo protasin immutari quia commodius erat de vite vim culturae in se continente dicere quam de cultura. Quibus angustiis si quis ita se expedit ut malit a recto orationis cursu declinare quam aut sententiae exitum cum maiore etiam perspicuitatis facilitatisque damno ex initio nectere aut litura uti et commodiorem orationis formam temptare, ea non est cura ista ne constructio nimis ad amussim facta videatur, sed aliquod ex malis minima eligendi studium, nisi in his quoque exemplis rectius neglegentia aliqua et oblivio non voluntaria deprehenditur. Nonnulla sane eorum exemplorum, quibus de falsa ista opinione deici debuit, Rh. prorsus ab anacoluthis seiunxit. Id vero quo iure fecerit nescio. Quam p. l. posuit anacoluthiae definitionem, eam esse orationis conformationem qua una pluresve iunctae enuntiationes re et sensu non verbis et constructione ad finem perducantur, ea vera est; quae postea, ut recte illa ab anacoluthis segregare videretur adiecit, unde sumserit nescio. Sed in eo equidem maxime offendi, quod acute definiendo loquendi genera sicut res externas distinguere voluit. Nam si constat aliquod dicendi genus a naturalibus loquendi regulis aliquantulum declinare, non tam referre puto quo nomine id significetur, quam quid eius proprium sit, quo ceteris simile sit, quo ab

iis differat, quam accuratissime explicari. Madvigius denique de turbatis et dissolutis orationis connexae maxime bipertitae membris disseruit in exc. I. ad Cic. de fin. bon. et mal. libros a p. 797 ad p. 811. Is si non speciem tantum sed totum anacoluthorum genus acumine isto suo pertractasset, ego hunc libellum in medium non proferrem.

Atque quamquam Gernhardi Rhodiique ista secundum varia ipsorum enuntiatorum genera, in quibus anacoluthia fiat, divisio retineri debet, non tamen ea est qua quae sit propria singularum specierum natura ac vis apparere possit. Alia igitur divisio accedat necesse est quae ex ipsa non eius quae imperfecta relinquitur partis, sed posterioris qua fit ut prior imperfecta relinquatur natura ac indole repetatur, ut perspicuum fiat quot quibusque modis a coepta orationis constructione illis declinare licuerit.

Sed priusquam ad exempla sic dividenda aggrediamur, de ipsa anacoluthia aliquid dicendum est. Atque anacoluthon id habebimus enuntiatum, cuius priorem partem non sequitur quam ea sibi deposcit posterior, sive omnino imperfecta relinquitur sententia, sive re quidem et sensu non verbis et constructione absolvitur. Ergo nisi prorsus interrupta oratio est, prior pars posteriorem sibi requirit aliter constructam, priorem posterior, ut aliqua duarum constructionum vel sententiarum confusio quovis in anacolutho agnosci possit. Omnis autem lingua cum ad hominum sententias aperiendas, ut ita dicam, facta sit, iisdem quibus ipsa cogitatio legibus contineatnr necesse est. Itaque — quamquam haud facile quisquam id per singulas res persequi possit — omnes tamen dicendi leges ex cogitandi legibus pendere

putandum est, ita ut quae omnibus hominibus communes sint cogitandi leges, quae ex iis pendeant omnibus sint communes dicendi, quae vero pluribus modis cogitari possint, in iis differant variae linguae exprimendis. Atque ea orationis conformandae neglegentia quam anacoluthiam dicimus quin prorsus contra legem sit non modo latinae sed omnis linguae, dubitari nequit. Nam quae hominum animi est quasi mobilitas et promptitudo, ea factum est ut oratio logicam rationem nonnunquam deserat. Sed omnis ea orationis a cogitandi legibus declinatio quam partim idiomatum partim figurarum rhetoricarum nomine designare assuevimus paullatim nata usuque ita firmata est ut nemo sit qui ea abstineat, plerique ne sentiant quidem qualis ea sit a naturalibus loquendi regulis declinatio. Hoc vero in anacolutha non cadere, cum inde colligi liceat quod in iis (paucis exceptis) gravissimae cogitandi leges nimis violantur, tum eo docemur quod multo minus usitata erant quam idiomata et figurae rhetoricae. Nam neque omnibus scriptoribus usitata erant sed uni Ciceroni — pauca quaedam eaque lenissimi generis exempla apud ceteros inveniuntur — neque ubique Cic. ea admisit sed in iis potissimum libris quos de philosophia scripsit, quos quam celeriter quo consilio quo animi habitu scripserit satis notum est. Deinde quominus anacoluthia in figuris rhetoricis habeatur, non modo ipsa plurimorum exemplorum natura ac ratio prohibebit, sed etiam veterum qui de figuris scripserunt, anacoluthiae mentionem fecerunt nullam, sententia.

Sed est ea partim licentia aliqua velut in I de fin. 20 (v. h. l. p. 39) IV, 4 (p. 40) 18. (p. 38), partim neglegentia et oblivio non voluntaria velut in I de or. 214

(p. 49) Pis. 83. (p. 45) II de legg. 63 (p. 84) I de div. 114 (p. 85) ibid. 40. (p. 85) II de fin. 71. (p. 89).

Quam rem cum Madvigins l. l. p. 797. sic exposuerit ut quibus aptioribus utatur verbis haud facile quisquam inveniat, facere non possum quin ipsa eius verba hic inseram: „Quae in lingua nondum per plura secula prosae orationis litteris exculta facile dabatur venia libertatis cotidiani et familiaris sermonis in dialogis praesertim imitandae quaque in eadem scribendi forma Plato interdum utitur —, eam multae sunt caussae cur Cic. in iis libris quos de philosophia scripsit ita sibi concessam putarit ut interdum modum excedere videatur. Nam ut omnino in hoc genere disserendi et docendi saepe sententiis iam coeptis et oratione adumbrata, multa occurrunt quae ad res definiendas et diligentius comprehendendas pertineant, ita multo magis orationis cursum retardari et institutum mutari necesse est, si quis non suas sententias explicet, sed alienas et alio sermone ante expositas, suo nondum tractatas, breviter complecti et ex universis disciplinis decerptas particulatim perscribere conetur. Nam et patrii sermonis res et sententias non facile subsequentis impedimenta vincenda sunt saepeque de verbis dicendum et excusatione utendum et de ipsis rebus aliquid interdum aliunde admonitionis et explicationis caussa interponendum est. Si autem etiam illud accesserit ut scriptor festinans curam retractandae orationis semel fusae et commodioris formae varie temptandae quaerendaeque molestiam detrectet, quamvis sit scribendi in alio genere artifex, tamen fieri non poterit ut neglegentia non adpareat. Cic. autem quam celeriter haec scripserit in prolegomenis dixi; in singulis locis quam non elaboraverit ut

mutando quae scripsisset sententiam et orationem expoliret et laevigaret saepius in notis commemoravi velut ad V, 22 p. 651 et ad V, 54 p. 712. Verum haec efficiunt ut in hoc genere librorum hae orationis quasi aberrationes plures et duriores sint; libertatem illam aliquid ita ponendi ut orationis conformatio et progressio non ad severam normam exacta esset etiam in illis Cic. usurpavit quae maiore cum cura et otio docendi caussa scripsit; unum et alterum huiusmodi sed et facile apertumque et lene in orationibus non reformidavit."

Nunc illud tantum addam quemadmodum in omni re quae non ex partibus extrinsecus additis constet sed, ut animalia, secundum naturae leges nata sit et adolescat et vigeat, omnes partes ita inter se coniunctae sint ut alia paullatim in aliam abeat, sic etiam varia loquendi genera non ut res externas distingui posse sed aliud paullatim in aliud abire. Itaque eam in anacoluthis tractandis rationem sequar ut a lenissimo orationis non ad severam normam exactae genere exorsus ad duriora gradatim progrediar.

A.

Primum igitur anacoluthiae genus id ponamus quod natura sermonis facillime oritur, cum duae pluresve aequales sententiae partes non eadem forma efferuntur. Id autem duplici modo fieri potest.

Aut enim altera pars non quidem per se ponitur at non recte tamen priori respondet, aut seorsum effertur ita ut novam sententiam ducat.

I.

Atque priorem speciem si secundum varias quae aequaliter poni debebant, inaequaliter ponendi rationes dividere volumus, iterum duas formas complectere videmus.

Etenim quae ratio inter duas sententiae partes intercedere in priore significata erat, ea in posteriore aut praetermittitur tantum aut cum alia commutatur, ita, ut non ea quae debuit sed aliam rationem significans vocula respondeat. Utriusque autem formae exempla duplicem rationem habere possunt. Nam aut significanda erat ratio quae inter ipsas duas sententiae partes intercederet aut quam utraque earum cum alia re haberet eandem.

Priusquam vero ad huius speciei prioris formae exempla accedamus aliquot loci inspiciendi sunt — qui quasi transitum praebent ab oratione ad severam normam exacta ad vere anacolutha — in quibus alteram sane aequalium sententiae partium priori inaequaliter proferri luce clarius est nec tamen particula aut desideratur aut vitiose posita est. Atque eorum primum locum tenet aliquod dicendi genus quod quia omnibus usitatum erat non in anacoluthis habendum est. Sed pertinet id dicendi genus ad eam figuram quam ἀπὸ κοινοῦ vocamus. Nam quod in priore membro positum est verbum, eius speciali notione seiuncta, quae relinquitur generalior, ea ad alterum membrum pertinet. Sic affirmandi notionis ex negandi eliciendae exempla posuit Madvigius ad II de fin. 25. p. 189. Tusc. V, 116. Fin. I, 61. 68. IV, 22. V, 88. Durissimum est II, 25. His addi possunt de inv I, 93. Mur. 25, in. Acad. II, 76. epp. Att. XV, 1, 3. Tusc. I, 15. Idem interdum accidit in particula „ne" quo I de or. 112 pertinere videtur. Nonnunquam (ut Brut. 259. Tac. ann. XII, 64.) ex sequenti verbo tantum affirmativa pars ad prius membrum pertinet. Ex currendi notione audienda est eundi Hor. sat. I, 3, 10. ex providendi faciendi de off. II, 84.

dicendi ex comparandi III N. D. 7, 18. afferendi ex repetendi Tusc. I, 116. Huc quoque spectare videtur quod I de off. 73 legitur „Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo consideret quam illa res honesta sit sed etiam ut habeat efficiendi facultatem.“ Atque verborum collocatio „ne id modo consideret — sed etiam — .“ duas res aeque ad considerandi verbum referri docet. Unde apparet falsam esse Beieri sententiam, „ut“ finali potestate positum esse. Iam quod Zumptius et Bonnellus v. cll. Degeno adsentiuntur „ut“ hic significare „in wie fern“ vel „ob er fähig sei“ dicenti, ea sane requiritur sententia sed num „ut“ hunc significatum habeat dubito. Verum quam recte illi viri requiri sententiam senserunt, ea alia consimili permutata est. Nam cum Cic. ad alterum membrum pervenisset, considerandi notio paullatim abiit in providendi vel cavendi, unde illud „ut habeat fac.“ nexum est. Id vero quod dicitur tamquam cuiusque in potestate sit facere ut habeat efficiendi facultatem, offensioni esse non debet quoniam ea quasi urbanitas etiam nostratibus nunc hominibus usitata est.

Quorum exemplorum quamquam nonnulla etiam ad secundum aut ad tertium genus pertinere videntur (velut Tusc. I, 116 et alia), si quemadmodum alterum membrum quo referri debeat eo referri nequeat consideres — quod etiam in pleraque eorum exemplorum cadit quae ultimae formae alterius speciei ascribam (Or. 229 v. h. l. p. 92, I de or. 3, 12 p. 102, alia) — hic tamen hoc dicendi genus attingere satius habui. Quod quamquam pro anacoluthia accipi non potest et quia tam usitatum erat ut paene legitimum videretur, et quia omnino in verbis vitium non est sed alteram sententiam

non eodem quo priorem referri nonnisi ex sententiarum nexu perspicitur et quae re diversa erant tamquam aequalia proferuntur non aequalia inaequaliter (quod idem Ciceronem Tusc. IV, 59. non fecisse quidem sed facturum fuisse ostendam p. 80) tamen inde ad anacoluthorum naturam rectius perspiciendam aliquid redundare videbatur. Quae enim in ea brachylogia apparet Latini sermonis quasi sollertia et facilitas qua duae notiones sic conflantur ut ad eas significandas uno tantum vocabulo opus esse videatur, ita ut quod latius patentem notionem ad quam referatur sibi deposcit, id ad angustiorem ad quam priora pertinebant referri liceat: quantum est quod desit in ea ad duas notiones sic confundendas ut quae ratio inter duas sententiae partes intercedere, duabus voculis quae inter se responderent significanda erat, ea in posteriore membro aut alia consimili permutetur aut prorsus praetermittatur?

Quodam modo simile est quod legitur in I. de off. 28., quamquam ad illam figuram non pertinet. Sed cum hic varia tradantur, ut quae lectio tradita sit diiudicare possimus quid de codicibus librorum de off. scriptorum statuendum sit sciri necesse est. Qui quam rationem inter se haberent, cum nemo adhuc, quantum equidem scio, explicuerit, quamquam de codicibus disputare non in proposito erat neque ea quam Heusingeri Gernhardus Orellius praebent lectionum variarum copia talis est, qua ea de codicibus quaestio absolvi possit cum non solum lectionum Anemoecianae Graevianae Langianae Aldinae Gruterianae quae merito in optimis habentur raro mentio fiat rariusque num eae in codicibus eorum virorum fuerint constet, sed nonnumquam etiam alter tantum suorum librorum lectiones tradat,

alter taceat, facere tamen non possumus quin eo apparatu usi quid effici possit experiamur et quod ad hunc locum aliosque de quibus infra disputabitur diiudicandos sciri necesse est hic inseramus.

Atque Orellii codd. sunt Bernenses quinque (quos litteris signavit) a. saec. IX. b. saec. IX vel X. c. saec. XIII. d. et e. saec. XV. Basileensis (f.) saec. XIV. Erfurtensis (E.) saec. XV; Michaelis Heusingeri Gothanus et Vinariensis, (saec. XV.); Iac. Heusingeri Guelpherbytani quinque, pr. et sec. saec. XIII. trtius qrtus quintus XV. Gernhardus qui trium Oxx. λ. μ. ψ. ubi ab Oliveto differrent attulit lectiones de eorum aetatibus nos revocat ad Danielis Beckii praefationem ad Cic. opp. vol. II Lipsiae apud Schwieckertum ed. p. LI sqq. Quem commemorat λ medio saec. XIII; μ. ineunte eo saec. scriptum esse censere. Quid de ψ codicis aetate censuerit non refert Gernhardus. Ipsius vero Beckii libri usus mihi quamvis omnia temptanti non contigit. λ desinit in verbis „quibus rebus“ II, 4. μ. in III, 23 „sitne boni viri.“ De Lincolniensi Oxx. reliquis VII Lubecensi Groningensi, aliis qui bis terve in auxilium vocentur diiudicare non possum. Illos vero quos supra dixi omnes ab aliquo codice primario vel archetypo q. v. qui ipse iam aliquibus vitiis affectus esset, ortos esse, eorum omnium in hisce omissionibus, interpolationibus, mendis declarat consensus. Omittunt II, 56 „auditu“ quod Anemoecius tantum et Graevius ex cod. suis ediderunt. Omnes addunt I, 31, loco multifariam a librariis corrupto „furioso“ post „reddere depositum“, praeter μ. quem alii quoque loci a librario haud stulto scriptum esse declarant. Solus Rudolphus Stürenburg id glossema retinuit.

II, 1, 1. „in quo tum quaeri dixi quid utile quid inutile.“ Quibus verbis c. f. e. qrtus qtus Goth. Vin. ψ etiam addunt „tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile.“ Dubitari non posse videtur quin Facciolati M. Heusinger Pearcius Heumannus Schützius Gernhardus Beierus Orellius suo iure hunc locum tamquam spurium notaverint. Nam etiamsi ferri possit talia hic interici et „in quo“ ut Bonnellus v. cl. volt, ad „persequar“ referri, tamen „de quibus“ ad „facultatem opes copias“ quas Cic. in proxime superiore enuntiato dixit referri durissimum est. Id tamen fieri necesse esse inde perspicitur quod Cic. statim dicit „de quibus dicere aggrediar si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixero“ et postquam ea de instituto et iudicio suo dixit non quid utile sit etc. sed priusquam ad eas quaestiones aggreditur uberius de illis officiis quae — ut ait — ad vitae cultum et ad earum rerum quibus utuntur homines facultatem ad opes ad copias pertinent, disputat. II, 48 omnes perprave addunt „gloriam“ ibid. „pro“ ante „in Albucio“ III, 67. „Sergio“ post „eae“. III, 114 „sed illud maximum“ usque ad „quae videntur utilia.“ Recte M. Heusingerus hunc locum veteri interpolatori attribuere videtur. Nam quae sequontur „Acilius autem etc.“ hoc loco ferri non possunt, sed post „ducerentur“ poni debebant. I. Heusingerus, ut locum sanaret Acilii enarrationem post „de quibus non omnes uno modo“ ponendam esse censuit ita, ut „autem“ post „Acilius“ deleretur post „Polybius“ insereretur. Sed accuratior et longior eiusdem rei enarratio priorem locum obtinere debet, ea quae res enarrandas tamquam notas tantum significet, posteriorem. Neque de eadem fraude dicere potuit Cic., nisi Polybii

enarratio praecessisset. Non in eo offenderem quod hoc exemplum prorsus a re proposita alienum est. Enimvero proclivis erat Cic. ad hoc a proposito aberrandi genus, praesertim ubi, ut nostro loco, maiorum virtutis laudandae exemplisque illustrandae esset occasio. Sed hoc ei accidere non potuisse videtur, ut ne sentiret quidem se a proposito aberrasse itaque sine ulla se ad priorem alio exemplo interruptam enarrationem redire significatione „autem" vocula orationem continuaret, tamquam proxime superior esset Polybii enarratio.

Omnes falso praebent I, 28 „putant" pro „putat" quod Wyttenbachius in Groningensi esse tradit. I, 51 „luceat" tamquam ex „facit" pendens pro „lucet". Ibid. 101. „naturae" pro „natura" quod omnes, ni fallor, editores receperunt, praesertim cum Groning. faveret, praeter Rudolphum Stürenburg qui quamquam recte cum schol. Guelph. dicit „agitur de naturali animorum condicione" non vidit ea ipsa ex caussa naturam esse vi coniungendam. Iam iis quae sequontur, alterum partem in appetitu positam esse etc., alteram in ratione quae doceat et explanet quid faciendum sit etc., Ciceronem non de duplici vi animorum atque naturae dicturum fuisse docemur. I, 137. „magna autem parte" pro „magnam autem partem" quod solus Langius ex cod. suo, plerique coniecturae ope ediderunt. 144. „convivio" aut „digna" aut „dignum" pro „convivii dicta" II, 46. „gratiores" pro „graviores" quod Gr. et Gruterus tradiderunt.

Iam non offendes si ea quoque vitia ad communem illum fontem retulero, quae vetustissimi a. b. c. pr. sec. λ. μ. habent, etsi in uno et altero deteriorum verba mendosa aut correcta aut omissa aut quae desideraren-

tur aliunde adiecta sunt. Omnes omittunt I, 54. „et" ante „caritate" aperte „benevolentia" pro nominativo accipientes, praeter Gu. qrtum. III, 28. „non" ante „vacent iustitia." Conservarunt Gr. f. unus Aldi unus Manutii. Recte Orellius explicat „quibus susceptis tamen iustitia maneat intemerata." Omnes inserunt I, 49. „ille" praeter μ. et Goth. qui saepenumero suo iudicio usus est et si quid non intellegeret emendare non dubitavit. Nostro loco absque dubio verum vidit.

I, 80. „animi" post „fortis" praeter Gu. pr. cui casu fortasse contigit ut vitium vitaret. I, 93. „decorum" post „dicitur" praeter Gu. trtium qui habet „id quod Graece πρέπον dicitur Latine decorum dici potest" ubi emendandi studium non potest non agnosci. II, 66. „quoque" praeter Gu. trtium et f. III, 74. „nomen" alius post „illorum" alius ante hanc vocem, praeter Gu. trtium qrtum qtum Goth. Vin. Falso exhibent omnes I, 69 „voluptate animi" praeter Gu. trtium qui „animi" omittit. codex Regius Lallemandii habet „nimia" quod recipiendum esse censeo. Id si Zumptius non minus supervacaneum esse dicit quam „animi" cum quicquid nimium sit fugiendum esse sponte pateat, vir cl. errare videtur, cum a nemine quoquam omnis voluptas in perturbationibus habeatur. Enimvero etsi omnis voluptas vitiosa est, nimia tantum si appetitu duci et trahi fere invitus patiaris, in perturbationibus habenda est. Etiam quod Bonnellus v. cl. affert „will man einen Grund suchen, wesshalb animi hinzugesetzt ist, so mag es vielleicht geschehen sein, um das Innerliche Subjective der voluptas zu bezeichnen" mihi quidem non probatur, cum id quod „das Innerliche, Subjective der voluptas" vocat in ea non magis appareat quam in

ceteris quas Cic. appellavit perturbationibus, cupiditate, metu, aegritudine, iracundia, idque etiam iam „omni animi perturbatione“ verbis satis sit denotatum. Nihil veri similius est quam „animi“ ex „nimia“ ortum esse, sicut III, 64. „recte“ ex „certe.“

I, 121. „vitium“ pro „impium“ quod praeter ed. Gr. et Palatinum primum Gruteri in λ. est. I, 145. addunt „que“ ad „animadversores“ praeter Gu. trtium qrtum Goth. Vin. Omnes falso I, 145. „desiderat“ (pro „desiderant“) aperte „perversitas“ pro subiecto accipientes praeter Gu. trtium qrtum qtum f. e. Goth. Vin. II, 15. „commodis“ pro „commodandis“ quod Nonius tradidit et etiam in d. invenitur. III, 19. „honestas utilitatem“ praeter Gu. trtium et qrtum qui veram Mureti lectionem „honestatem utilitas“ confirmant. III, 32. „humanitate corporis“ pro „humanitatis corpore“ quod nostrorum solo in Gu. trtio est. Sic etiam Muretus. III, 64. „recte“ pro „certe“ quod solo in ψ. est. III, 74. „non“ pro „num“ quod in d. et uno Ursini codice inveniri traditur.

Priusquam igitur quid de ceteris codd. statuendum sit constet, in eo potissimum criticam de officiis librorum tractationem versari necesse est, ut quae horum archetypi lectio fuerit eruatur. Cum hac conferendum est si quid ex alio codice affertur. Id si tale est unde loco in nostris corrupto medicina afferri possit, non est cur praetermittamus. Sed in medio relinquendum erit utrum ea sit lectio ex archetypo alius codicum generis propagata an librarii istius probabilis emendatio.

Atque ad alium ex illo primo descriptum Bernensem c ad alium reliquos Bernn. Oxx. λ. μ. ψ. Guelpherbytanos Goth. Vin. f. E. referendos esse mihi persuasi.

Bernensem c vero eiusdem stirpis esse atque Graevii et Langii libros, Augustanum Anemoecii (de quo v. Heusing. prolegg. p. XXXIII sq.) Palatinum primum Gruteri, Zumptius et Orellius contendunt ita ut eos quoque libros ad eundem illum archetypum referri itaque quas supra attuli unius alteriusve eorum lectiones tamquam veras, eas aut librariorum aut virorum illorum emendationes esse necesse sit. Sed querendum est quod de iis libris non ita docti sumus ut quibus in vitiis cum altera familia consentiant demonstrare possimus. Eius vero libri quem inter hos et archetypum interposui scriba, minime stultus, perraro inscitia aut neglegentia, saepius mutandi cupiditate peccavit, ut ubi alterius familiae libri in lectione quae ferri possit conspirent, hos sequi non ausim, nisi aperte meliora praebent et quae quemadmodum sic depravari potuerint facile intellegitur. Nulla igitur earum lectionum quas ii proprias habent, quamquam complures earum alterius familiae lectionibus postponendas existimo, tam insana est, quae ferri omnino nequeat.

Iam id molestissimum est quod Orellius passim tantum ex uno et altero eorum librorum aliquid promit. Sed Bern. c. Pal. pr. Gruteri, Graevius, Anemoecius I, 130. tradunt „inepti non vacant offensione“ quod Bonnellus v. cl. recte volgari lectioni „ineptiis non vacant“ posthabuit. Bern. c. Pal. pr. Gr. (de Anemoecio nihil traditur) I, 141. „ad liberalitatem specie et dignitate.“ Recte Bonn. cum reliquis „ad liberalem speciem etc.“ II, 1, 4. „tempori“ II, 55. „gladiatoriis“ sed sic quoque μ. II, 76. „tantam — pecuniam“ II, 17. addunt „in usu“ (etiam ψ.) quod Orellium immerito retinuisse cum

Bonnello censeo. II, 53. om. „in“ ante „epistola.“ Bern. c. et Graev. (de Pal. pr. et Anem. tacetur) II, 75. om. „roboris“ 76. exhibent „domum detulit“ pro „domum intulit.“ 77. „digressa“ (sic etiam μ.) ceteri „egressa.“ III, 98. „fide sacratum“ (quod etiam Victorius habet.) Sed planum est „fidei sacratae ius“ ut Bonn. ex ceteris edidit pro „iusiurandum“ dici. Bern. c. et Anem. (de Pal. pr. et Gr. nihil comperi) ingerunt „ii“ aute „labefactant“ II, 78. Memorabile est quod I, 82. c. Gr. μ. cum toto grege deteriorum (Gu. trtio qrto qto Goth. Vin. f.) praebent „quietis cogitationibus“ quod Stürenburgium perperam recepisse censeo quoniam Cic. non de cogitationibus sed de consiliis dicturus erat. Sed manifestum est in hac lectione alterius etiam peioris „et cogitationis“ (sic. a. b. d. E. sec. λ. ψ.) quae absque dubio archetypi erat, emendandae studium. Veram lectionem quae est „et cogitatis“ Victorius Gronovius Pearcius Ernestius nescio utrum codicis alicuius auctoritate an coniecturae ope restituerint. Ex nostris c. tantum, alioquin mendosissimus eam praebet, quem Orellius ex libro impresso descriptum esse suspicatur.

Bernensis c denique quae sit propria ratio difficile est diiudicatu quia in gravissimis locis nescimus utrum cum ceteris qui ex eodem fonte deducendi sunt consentiat necne velut I, 40 ubi partem loci a ceteris omissi servavit, I, 77. ubi habet „paci“ pro „laudi“. 122. „rebus“ pro „officiis“. I, 92. „vere hominibus amice vivere“ ceteri „vere hominum amice“ c. „vitae hominum amice“ ut Bonn. edidit, Gr. cum plerisque impressis „vitaeque hominum amice“. 125 „agenda“ pro „gerenda“. 128 „moribus ac verbis“ pro „verbis“

λ et Gr. „nominibus ac verbis“. 153 „philosophiam“ pro „σοφίαν“. II, 38 „probatum“ pro „spectatum“. III, 67 ubi in archetypo „Sergio“ post „eae“ interiectum vidimus, c habet „Sergio alii“ apertissimum mendi tollendi conatum. III, 74 om. „notam“ alibi.

Iam ad alteram familiam transeundum est. Atque Bernenses (praeter c) omnes Guelph. Goth. Vin. f. E. ad unum ex illo primo descriptum referendos esse ostendit eorum hisce in vitiis consensus. Om. I, 40. „Secundo autem Punico bello“ ad „interitum cum scelere approbavit.“ quo loco nihil quidquam est quod offendas.

Totum locum servarunt Grut. et Langius, posteriorem tantum eius partem (a „semper autem in fide“) Bern. c.

Quodsi Rud. Stürenburg inde quod c eam partem tantum servavit, effecisse sibi videtur, hunc librarium eodem exemplari quo ceteros usum esse, in quo ea verba a vetere grammatico, quod eiusdem rei in III. libro enarratio a nostra paullo differret, decepto essent lineola perducta tamquam spuria notata (ut tamen singulae litterae cognosci possent) itaque illum suo iudicio usum alteram loci partem servasse, alteram omisisse: primum id non necessario concluditur, deinde veri simile non est alterum librarium alterius iudicium ita nostrorum more perspexisse et perpendisse ut partim reiceret partim adsentiretur, neque omnino illius temporis librariorum mos erat talibus de caussis totum locum ulli scriptori abrogandi. Iam vero verba „semper autem in fide quid senseris non quid dixeris cogitandum“ prorsus inepta sunt nisi ad priorem illam enarrationem referuntur, ut, quo iudicio Bernensis c scribam fuisse vidimus, is non potuerit priora tamquam spuria delere,

haec admittere. Denique perpetuus huius libri, ubi rell. Bernenses et Gu. in errore aliquo consentiunt, cum alterius familiae libris qui verum servaverunt, obstat consensus. Casu igitur aliave caussa factum esse videtur ut illa enarratio in c omitteretur. Ergo veri simile est huius familiae (ad quam c pertinet) primarium hunc locum habuisse, illius (rell. Bernn. et Gu.) omisisse. I, 113. „iucundum“ quod restitutum est ex c. Vict. Pal. pr. Anem. Falso praebent I, 104. „si rerum turpitudini“ pro „si rerum turpitudo aut“ quod c. Anem. Nonius tradiderunt. Amplius de hoc loco disputabitur p. 33. 121. „diluere“ c. Pal. pr. Gr. „dissuere“. 126. „atque formam“ c. Gr. Anem. H. Wolf. Gronov. „atque turpem“. 155. „utilitatem“ c. Pal. pr. Gr. Anem. „caritatem“. 158. „istam“ c. Anem. ψ. „initam“. II, 53. „rationis“ c. Gr. Anem. Wolf. „ratio“. II, 37. „animi“ (quod etiam in ed. Gr. invenitur) c. recte „animos“. II, 39. „iniusti“ c. solus recte „iniustique“. II, 56. „cogerentur“ c. Pal. pr. „cogantur“. III, 61. „licitatorem“ c. Pal. pr. Anem. „illicitatorem“. ibid. „se liceatur“ c. „reliceatur“. III, 98. „assimulavit“ c. „assimulare“. III, 87. addunt „quam senatus“ om. c. et Langius. I, 35. om. „omnes“ quod soli c μ. Gr. servaverunt. II, 53. „bene ministrum et praebitorem“ quod servaverunt c. Anem. Pal. pr. Etiam „sperent fore“ (ibid.) in medio illo quem inter hos et archetyp. interposui omissum esse videtur, cum in Gu. primo prorsus desideretur, a. b. d. e. Gu. sec. qtus Goth. Vin. μ. ψ., quod proximum erat, „putent“ qrtus „existiment“ substituerint. II, 90. „vellem“. Servaverunt c. Gr. Lang. III, 83. „re“ quod solis in c et ed. Gr. extat.

Sed etiamsi unus et alter deteriorum codicum, quos

mixtos habeo — nam ex utraque familia nonnullae lectiones in eos irrepserunt — aut aliunde meliora praebent, aut locum corruptum suo Marte sanare student, de communi eorum fonte non dubitabis.

Sic I, 110. „naturae“ quo careri nequit, servarunt praeter Gr. et c. etiam d. e. Gu. qrtus. In qto corrector apposuit. II, 50. locum in ceteris omissum „ut ii quos ante dixi; aut ulciscendi“ servavit praeter c etiam e. III, 53. „immo vero — necesse est“ praeter c tantum ψ. d. e. qtus Goth. Vin. habent.

II, 41. c et Gr. habent „inops“ a. b. d. f. pr. sec. qrtus qtus Goth. μ. „in otio“; „initio“ praeter c etiam Gu. trtius. ψ cum plerisque impressis „in initio inops“ ut verisimile sit hunc quoque in genere mixto habendum esse. Bonn. v. cl. adsentitur Stürenburgio qui „in otio“ ideo praetulit quia haec vox lectorem ad superiora Romanae rei publicae tempora revocaret, ubi maxime in otio multitudo ab iis qui maiores opes haberent pressa esset, ideoque ad singulos confugisset velut ad Sp. Cassium, Sp. Maelium, M. Manlium. Sed erravit v. cl. si putavit propter ipsum otium inopem multitudinem illis temporibus magis pressam esse. Contra est; premebantur illo tempore quia propter *longiora bella* inopes redditi erant. Itaque non potuit Cic. sic otium inopiae et vexationum iniuriarumque caussam dicere. Deinde „otium“ non bello opponitur sed omni negotio, ut si quis dicit „in otio“ id non continuo idem valeat atque „in pace“. Iam vero proxime superiore enuntiato „mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros iustitiae fruendae caussa videntur olim bene morati reges constituti.“ docemur Ciceronem non de illis temporibus (Sp.

Cassii, Maelii Manlii) cogitasse sed de primordiis Romanae civitatis. Quo igitur aptiore vocabulo uti potuit quam „initio"? Quod vero Bonn. dicit „initio" non satis ponderis habere, equidem non video, si quis de initio alicuius rei dicturus est, cur initii vocabulo uti non debeat.

Memorabilis est Graevii et Bern. c. dissensus. Sed cum M. Heusingerus qui Gruteri Anemoccii Langii lectiones novit easque passim commemorat, „initio" volgatam lectionem dicat, verisimile est eam huius familiae fuisse, „inops" vero aut ipsi Graevio aut librario deberi. Quod id etiam in Bern. c. erat nullius momenti est.

II, 76. c cum trtio „abstinentiae" ceteri falso „sapientiae." III, 35. c. et Gr. cum ψ et qto recte „utilitas" ceteri „utili". III, 88. solus c. recte „non" ante „utilem" habet, ceteri (etiam Gr.) ante „aequam" praeter Gr. pr. qui totum locum omittit. III, 91. trtius c. μ. verum servaverunt „vinum" cet. „venenum". II, 48. omnes inserunt „sermone" praeter c et d. Iidem soli II, 71. abstinuerunt „et" ante „rem publicam". Possum multa eiusmodi exempla afferre sed cum id quod volui his adsecutus esse mihi videar, pluribus abstineo.

Iam ad nostrum locum redeamus. Atque I de off. 28. omn. Gu. Oxx. a. b. d. e. f. E. exhibent „Nam alterum iustitiae genus assecuntur in inferenda ne cui noceant iniuria, in alterum incidunt." Bern. c. solus „in altero delinquunt." quo omnis difficultas sublata est. Sed cum ceteri eius familiae libri — si fides silentio Heusingerorum — ei non consentiant, haec huius librarii coniectura esse videtur. Iac. Heusingeri Ernestiique sententiam „incidere" hic habere offendendi et violandi notionem Zumptius satis reiecit. Aperta est notionum

„alterum institiae genus assequi" et „altero iniustitiae genere abstinere" confusio, inde nata quod iniuriae mentio interposita est.

I, 3, 8. omnes praebent: „Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quoniam (sic μ. sec. a. b. c. d. E. Anem.) Graeci κατόρθωμα, hoc autem commune officium vocant." Soli c. et Gr. „hoc autem commune καθῆκον vocant." Praeterea Camerarius Maturantium testari ait, se vocem graecam in spectatae fidei libro invenisse. Sed in eo exemplo commentariorum Maturantii quod I. Heusingerus inspexit, nihil tale legebatur. Atque Bonn. cum Gernhardo Stuerenburgio aliis καθῆκον receperunt, itaque „vocant" ad Graecos relato, posteriorem sententiae partem priori inaequalem reddiderunt. Nam quae ipsius posterioris sententiae partes iterum duae esse debebant („hoc autem commune vocemus" et „quod ii καθῆκον vocant") eae in unum conflantur ita ut, eo, quod gravissimum erat, medium officium commune vocari praetermisso, Cic. tamquam id notum esset, statim eam rem quae relativo inde nectenda erat tamquam primariam ponat. (Similia in quinta alterius speciei forma ponemus). Sed cum ceteri eius familiae ad quam c. pertinet — si fides silentio — cum Gu. rell. Bernn. Oxx. facere videantur, ea quin archetypi lectio fuerit dubitari nequit. Atque καθῆκον voce careri non posse, ut Bonn. putat, librarii illius qui primus graecum nomen aut latini loco posuit aut post „officium" inseruit, erat sententia. At primum falso concluditur Ciceronem quia recti officii nomen graeco magis adumbrare vel cum nuperrime demum invenisset, comprobare voluisset, ideo communis etiam officii nomen graeca eius notionis significatione adumbrasse necesse esse. Enimvero id tantum

agebatur ut nomina a Stoicis repetita, volgarioribus quae omnes nossent, explicarentur ideoque in hac re Cic. accuratus fuisse putandus est. Deinde I. Heusingerus negat Graecos medium illud officium καθῆκον vocasse. Nam cum id καθῆκον μέσον vocarent nonnumquam μέσον eos dixisse ait, suppressa καθῆκον voce, non καθῆκον suppresso μέσον. Durissime denique „vocant“ ad Graecos refertur. Meliorem vero sententiam volgaris lectio praebet eamque rectissime sic interpretatus est I. Heusingerus „Perfectum officium, puto, vocare mihi licebit illud quod a Stoicis rectum Graece κατόρθωμα dicitur, illud vero medii officii nomen communi officio ponunt. Recte monuit patruus „hoc“ ad remotius medii officii nomen referri. — Praeterea „hoc vocant“ explico „illo nomine appellant.“ Ita noster III de fin. 6. Phil. XIII, 10. Ovid. fast. II, 24.“

Atque cum Cic. pro medii officii nomine, saepenumero solo officii usus sit (velut III de fin. 58. ubi v. Madvg. ibid. 22 et 23. Acad. I, 35.) hoc commune officium non tamquam nomen proprium poni videtur (ut „rectum“) sed quo designetur huius speciei nomen proprium omnino non esse sed generis nomine eam denotari, quippe quae cum altera species nuper demum inventa et plerisque ignota sit, in communi vita pro genere habeatur. „Vocant“ igitur ad eos referendum est qui istam perfecti et medii officii divisionem facere solent, non ad Graecos.

Difficilis est locus qui extat I de off. 104. quam Bonn. sic edidit. „Facilis igitur est distinctio ingenui et illiberalis ioci. Alter est si tempore fit, remisso homine dignus; alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas.“ Atque Gu. pr. et sec. „ut sit remisso animo homine dignus“ a. b. ψ „ut si“ c. et f. „ac si“ d. „et si“ e. et Gr. „ac“ trtius λμ. „aut“ aperte protasin hypotheticam continuantes. Gu. qrtus et d. fere eadem sententia „alter est in tempore et si remisso animo etc.“ Goth. more suo licenter emendavit „alter si temperate fit remisso homine dignus.“ Quam Gothani coniecturam (excepto „temperate“) plerique, ni fallor, editores receperunt. Solus Rud. Stuerenburg et „ut si“ quod a. b. ψ conservarunt, quo etiam ceterae lectiones „ac si“ „et si“ „ut sit“ ducunt, et „remisso animo homine d.“ in quo omnes consentiunt (praeter Goth.) restituit, recte explicans „wie z. B. wenn in heitrer Stimmung.“

Atque hoc „ut si remisso animo“ si modo Stuerenburgium sequaris optime se habere liquet. Hoc vero dubium esse potest quemadmodum homini illud „ne libero quidem“ opponi possit. Nam quod apud Manutium Magnolum Facc. Lalmd. Pearc. invenitur „ — libero dignus, — alter ne homine quidem“ ea est coniectura.

Atque cum ad sententiam perficiendam tecum suppleas necesse sit, „alter non modo homine non dignus est, sed ne libero quidem“, necesse est — id quod ubique fit ubi alteri negationi altera „ne — quidem“ voculis opponitur — eandem rem (illiberalem iocum) duobus eadem ex caussa abrogari ita ut in altero membro descendatur ad infimum gradum eius proprietatis propter quam illa res utrique abroganda sit, sive ea proprietas est alicuius rei inopia sive praesentia. In eo igitur omnia posita esse videntur ut eruamus quinam liber intellegendus sit. Atque Bonn. v. cl., in superioribus Goth. secutus, liberum sic interpretatur „der freimüthig jede Sache bei ihrem Namen nennt“, (qua in re id postissi-

mum miror quod II de or. 62, 252 citat, ubi liberum servo opponi apertum est) ut sententia haec sit, „alter non modo remisso homine non dignus est, sed ne libro quidem.“ Ea vero cum ferri nequit quia „remissus homo“ et liber inepte sibi opponuntur, quasi in eo qui simpliciter fortiter liberaliter loqui soleat illiberalis iocus potius ferri possit, tum non minus inepte Cic., cum illo „si tempore fit“ se nonnisi de eo ioco qui tempore fieret dicturum esse significasset, eum vero qui tempore parum idoneo fieret, etsi ingenuus esset, ut nemine quoquam dignum omnino iam segregasset, ad eum quo liberalis iocus qui quidem tempore fieret dignus esset definiendum, ea re uti putatur quae sit species temporis ioco idonei (remissum esse). I. Heusingerus quem liberum intellexerit inde tantum colligi potest quod citat Lael. 24, 7 et II, de or. 252. ubi haud dubie liberi servis opqonuntur. Sed ne sic quidem intellegi potest quemadmodum liber homini remisso opponi possit. Stuerenburg denique liberum eum esse contendit qui libere vivat, cupiditatibus pareat. Sed qui ferri potest qui cupiditatibus pareat eo illiberalem iocum indignum esse quasi illiberaliter, turpiter facta potius ferri possint quam illiberaliter dicta? Contra, eo solo dignus est illiberalis iocus.

Atque nisi archetypi lectionem corruptam esse censes, eam hic deprehendi membrorum inaequalitatem concedes, qua factum est ut hic huius loci mentionem facerem. Sed accidit Ciceroni ut ipsam sententiam paullo mutaret. Cum enim dicturus esset „alter si *tempore fit, ut si rem. an.*, homine dignus est, alter omnino numquam“ in altero membro subito ei in mentem venit gradationem instituere qua nemine quoquam illiberalem iocum dignum esse, fortius efferret. Itaque

cum in priore membro ei non mera hominis notio obversata esset (ea enim veteribus non tantum valuit quantum nobis) sed civis Romani, cuius dignitati illiberalis iocus indignus esset, sententiam sic mutavit ut in altero membro eum opponeret in quo eius dignitatis, cui illiberalis iocus contrarius esset, infimus adesset gradus, liberum i. e. qui nullam aliam dignitatem haberet, nisi quod non esset servus.

Iam quod Bonn. in sequentibus traditam lectionem „si rerum turpitudini adhibetur verborum obscoenitas“ sic explicat „rerum turpitudo ist die Unanständigkeit des Inhalts, verborum obscoenitas Gemeinheit des Ausdrucks“: Cic. illud dicere non potuisse videtur. Aut enim necesse est „si“ pro „praesertim si“ positum esse, aut sola rerum turpitudine (si ea est sententiae turpitudo) iocum non illiberalem reddi, nisi quoque verborum obscoenitas accedat. Cum vero altera familia — si quidem c. et Anemoecii lectio pro totius familiae testimonio accipi potest — cum Nonio consentiat in lectione „si rerum turpitudo adhibetur aut verborum obscoenitas“ quae optime se habeat tuenda, eam archetypi esse censeo. De enuntiato conditionali pronominis vel substantivi praecedentis sententiam repetente ac explicante idoneo loco dicetur.

II, 6, 21. haec leguntur „Quaecumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benevolentiae gratia faciunt, cum aliqua de caussa quempiam diligunt, aut honoris, si cuius virtutem suspiciunt, quemque dignum fortuna quam amplissima putant, aut cui fidem habent etc.“ Prioribus duobus membris non respondent posteriora. Non quidem diiunctio interrupta est sed cum Cic. varias caus-

sas cur homines homini aliquid tribuerent diiungere instituisset, inde a tertio membro sic sententiam mutavit ut non faceret diiunctionem caussarum sed hominum quibus homines aliquid tribuerent ita ut in proprietatibus eorum illas caussas inesse intellegeretur. Simile est quod II, 9, 33. post „duabus rebus effici" Cic. non res dicit quibus fides efficiatur sed homines quibus fides habeatur. Ceterum Bonn. v. cl. errare videtur quod ad „quemque" adnotat die Construction springt hier von den hypothetischen Sätzen in Relativsätze über (vgl. I, 5, 4. „ut enim quisque — quique —") und verharrt darin bis zum letzten Gliede „aut postremo." Sed non puto Ciceronem longae seriei diiunctionis membrorum inelegantissime unum membrum „que" vocula priori adiunctum inseruisse. Iam vero cum posteriora membra aliam apodosin sibi deposcant (quod anacoluthon ad secundum genus spectat) satis incommode etiam hoc unum membrum propriam suam apodosin requirit, ut bis aliam apodosin animo suppleri necesse sit. Mihi vero „quemque —" altera enuntiati condicionalis pars esse videtur, ut „quemque" sit „et quem", „quem" vero non pronomen relatioum sed indefinitum ut superius „cuius." Similis est membrorum inaequalitas IV. de fin. 56. „iam insipientes alios ita esse ut nullo modo ad sapientiam possent pervenire, alios, qui possent, si id egissent, sapientiam consequi" et ibid. § 58. „quaeque secundum naturam sint partim nihil habere in sese eius adpetitionis de qua saepe iam diximus, quae nec honesta nec laudabilia dicantur, partim quae voluptatem habeant in omni animante sed in homine rationem etiam" ubi Madvigius „Apertum est post illud „partim nihil habere" aut hoc sequi debuisse

„partim habere" et tum adiungi uberioris declarationis caussa „quae habeant" h. e. „ita ut habeant" (quamquam Cic. non erat ita scripturus „habere quae habeant") aut si statim pro adpetitione specialia illa substituerentur, hoc: „partim voluptatem habere etc." Neglegenter Cic. orationem mutat, quasi ante dixerit, partim esse, quae nihil habeant.""

Superiora erant in sententiis. Iam ad ea exempla transeundum est in quibus alterum membrum sic ponitur, ut ipsis in verbis, quibus aequales esse eas sententiae partes dectarari debuerit offendas, vere anacolutha.

I. 1. a.

Ac primum Cic. aliquotiens, partitione „et" geminato instituta, neglegentia quadam, quasi prioris particulae oblitus, alterum membrum „que" particula subiunxit, ut V. de fin. 64. „quae quidem omnia, — quis est quin intellegat et eos qui fecerint — immemores fuisse — nosque — duci?" v. Mdvgium ad h. l. Epp. fam. I, 5, b. § 1. „— et apud populum — in senatuque —" Tusc. I, 4. „et Epaminondas — Themistoclesque" pro Rosc. Amer. 41. „et ipsi incensi sunt studio quod ad agrum colendum attinet, vitamque hanc rusticam honestissimam arbitrantur." I de legg. 31 „nam et voluptate capiuntur — similique inscitia mors fugitur." Sic saepe etiam „neque — que" pro „neque — et" positum est. Deinde saepe Cicero cum in priore membro „alii" sic posuisset, ut alterum „alii" expectaretur, eam rationem persequi oblitus, alterius „alii" loco „quidam" vel simile vocabulum posuit. Durius oratio in aliam formam convertitur II. N. D. 122 et 123. „Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum

terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiora sunt ut anseres, ut cygni — adiuvantur proceritate collorum."

Eadem neglegentia apparet I. de fin. 66. „Tribus igitur modis video a nostris esse de amicitia disputatum. Alii — tuentur. § 69. „sunt autem quidam —" § 70. „sunt autem qui dicant —." Idem saepenumero accidit in enumerationibus I. de off. 44. „primum in eo peccant —. Inest autem —."

Simile est quod nonnumquam post „non modo" sequitur non „sed etiam" sed tantum „sed" ut gradatio in priore membro instituta, in altero praetermittatur. Etiam „sed" omittitur in loco a Rhodio p. 2. ex aliqua Verrinarum allato „non modo oppidum nullum, domus nulla etc." Eodem spectare videntur Tusc. I, 97. „quamobrem sive sensus extinguitur —; sin vera sunt —." et Acad. I, 7. „Sive enim Zenonem sequare — si vero Academiam veterem persequamur —." Nam quod „ve" syllaba priori „si" addita significatum erat, eo aequales esse duas conditiones, quod utra statueretur, ad apodosin nihil interesset, id in posteriore a „sin" incipiente membro praetermittitur. Id vero hoc utroque loco inde venisse videtur, quod ex his duabus propositis conditionibus, non solum sententiam superius positam veram esse consequebatur sed ex posteriore etiam maiora concludi poterant. Ergo iam priori membro a „sive" incipienti suam propriam apodosin Cic. adiecit, — quod eius coniunctionis naturae fere repugnare videtur — quoniam posteriori non quidem aliam sed quae vel maiora quam prior contineret, attributurus erat. Eadem est caussa cur Tacitus dial. 6. utrique a „sive" incipienti conditioni propriam apodosin adiecerit „sive accuratam

meditatamque profert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia, sive novam et recentem curam — attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. Sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis, vel praecipua iucunditas est."

b.

Porro quae utrique membro cum alia sententia intercedit ratio, ea in posteriore non designatur. Sic praecedente „primum quia" saepe sequitur non „deinde quia" sed „deinde" et praecedente „non quo" vel „non quia" non „sed quia" sed tantum „sed", ut ipsa tantum ea res quae sit exponatur, non eam superius commemoratae rei caussam esse significetur. Huc pertinet quod Rhodius ex III. de or. libro attulit „non quo acui — nollem, sed obtundi — nolui." de or. I, 186 „primum quia veteres illi — noluerunt: deinde — nulli fuerunt." Verr. IV, 132. „primum quod omnes religione moventur —; deinde hic ornatus — Graecos homines nimio opere delectant". Acad. II, 36. „primum quia his visis, inter quae nihil interest aequaliter omnibus abrogatur fides; deinde cum —, quomodo, — confidere sibi poterunt?" Tusc I, 1, 1. „non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset, sed meum semper iudicium fuit —." Idem fit cum plures caussae „non modo — sed etiam" voculis coniungendae erant, ut in IV de fin. 11. „neque vero ob duas modo caussas quod Epicuro videtur, ut pellatur mortis et religionis metus; sed etiam modestiam quandam cognitio rerum coelestium affert iis qui etc." Quod in priore membro non caussae sed consilia dicuntur, nullius momenti est.

2.

Altera eius speciei forma haec est, cum ea ratio quam inter duas sententiae partes intercedere in priore significatum erat, in posteriore alia consimili permutatur.

a.

Atque facillimum est quod accidit in enumerationibus ut ipsi numeri non eodem referantur velut in II de off. 18. „Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur, quarum una est —, alterum —, tertium —".

Fit quoque ut alterum „et" cum alia re coniungatur, atque quarum partitionem fieri in priore membro significatum erat. Sic quae in priore membro subiectorum fieri videbatur partitio, in altero fit obiectorum in II. Tusc. 61. „quem et ipse saepe vidi et id dicam etc." Ceterum de h. l. v. p. 43. Simile est quod in priore parte prioris formae posui p. 35. pro Rosc. Amer. 41. „et ipsi incensi sunt studio — vitamque hanc rusticam honestissimam arbitrantur". Durius est quod extat in IV de fin. 18. „Principiis autem a natura datis, amplitudines quaedam bonorum excitabantur, partim profectae a contemplatione rerum occultarum, quod erat insitus menti cognitionis amor, ex quo etiam rationis explicandae disserendique cupiditas consequebatur: quodque hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps appetensque convictum hominum etc." Alterum membrum esse debebat „partim profectae a pudore et appetitione convictus hominum." Cum igitur Cic. amplitudines illas secundum eas res unde profectae essent, partiturus esset, idque sic instituisset ut in priore membro a „partim" incipiente originem earum describeret idque superioribus appositione adnecteret,

in posteriore non modo partitionem deserit et quae dicturus est „que" vocula simpliciter adiungit, sed sic ne ea quidem adiungit quae partiturus erat, sed proprietatis loco qua origo significaretur („profectae a pudore etc.") superioribus appositione adnexae, enuntiatum secundarium ponit quo non origo describitur sed caussa redditur qua factum sit ut alterum hoc amplitudinum genus excitaretur. Simile aliquid accidit in I de or. 246. „nam quod inertiam accusas adolescentium qui istam artem, primum facillimam non ediscant; — deinde quod sit plena delectationis etc." quo de loco amplius in tertio genere disputabitur. Etiam de fin. IV, 4. „Qui quom viderent, ita nos esse natos, ut et communiter ad eas virtutes apti essemus, — *easque* ipsas virtutes viderent nos magnificentius appetere etc." propter „que" voculae sedem huc spectat. Hic quoque locus difficilis in I de fin. 20 tractandus est, ubi haec tradita sunt: „nam si omnes atomi declinabunt, nullae umquam cohaerescent, sive aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur, primum erit hoc etc." Atque quamquam eius dilemmatis formae aliud exemplum inventum est nullum, (nam Plaut. Curc. I, 1, 4. „si media nox est, sive est prima vespera" et Ter. Andr. I, 3, 11. „si ista uxor sive amica est" eo a nostro loco diversa sunt quod „si" et „sive" idem praedicatum et eandem apodosin habent) tamen recte Madvigium nihil mutasse censeo. Nam quamquam huic loco prorsus contraria sunt quae ex Tusc. I, 97 et Acad. I, 7. attulimus (p. 36) tamen quemadmodum Cic. ibi, cum idem ex utraque conditione consequi se dicturum esse significasset, ut ex altera vel maiora consequi declararet, orationem isto modo avertit, sic hoc loco — quamquam hoc durius est — cum quae

proxime ex utraque protasi consequerentur dissolutis sententiis dicturus esset, („si — sin“) simulque animo eius obversaretur idem tamen his ipsis quae ex utraque protasi consequerentur effici, (Epicurum id cuius caussa ista finxisset non adsecutum esse) id ei accidisse existimandum est, ut aliqua harum cogitationum confusione fere invitus in priore membro „si“ poneret, in posteriore „sive“ tamquam in priore etiam „sive“ cum propria apodosi posuisset, quod quamquam apud Cic. non invenitur, non prorsus tamen a Latini sermonis genio alienum fuisse Taciteo exemplo docemur (dial. 6. p. 36).

b.

Nonnunquam ea quae utrique membro cum alia sententia intercedit ratio, in posteriore mutatur. Sic IV fin. 4. „Qui quom viderent, nos ita natos esse, ut — apti essemus — easque ipsas virtutes viderent, nos magnificentius appetere etc.“ in postoriore membro quod aeque ac prius tamquam effectus ad „nos ita natos esse, ut“ referri debebat, non ut effectus effertur, sed aeque ac id ipsum cuius effectus Cic. hisce membris dicturus erat („nos ita natos esse“) tamquam obiectum superioris sentiendi verbi („viderent“) profertur. Falso Rhodius de or. I, 146 „verum ego hanc vim intellego in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed quae sua sponte homines eloquentes facerent ea quosdam observasse etc.“ in anacoluthis habendum non esse censuit. Quamquam p. 33, quod posterius membrum non ut prius ab „ut“ pendet recte contra Matthiaeum sic explicat: „sed minus artificiosa ac contorta explicatio ea fuerit qua vim duplici sensu interpretandum sumimus, ut ad priora „non-adepti“ voculam illam sensu caussae efficientis referas ad posteriora

autem pro notione vel significatu adhibitam explices.“ Verum nihilo minus oratio ab instituto cursu aversa est, quoniam cum in priore membro „non ut“ voculis quid ex istis praeceptis non consequeretur dictum esset, posteriore qualis esset effectus dictum iri expectabatur. Sed adnotandum est Ciceronem non aequalia inaequaliter extulisse sed cum orationem sic instituisset tamquam aequalia dicturus esset, inaequalia posuisse. Debuit enim dicere: „Verum ista praecepta non hanc vim habent ut —, sed — observarunt“ vel „Verum ego ista praecepta non hanc vim habere ut —, sed sic accipienda esse puto ut — observarint“.

II.

Altera eius generis species est, cum altera aequalium sententiae partium soluta ponitur tamquam a novo initio, quamquam aliquo eam ad superius referendam esse orationis indicio significatum est.

Quam speciem priusquam pertractemus, iterum talia exempla praemittamus, — quae transitum praebent ab oratione ad severam normam exacta ad vere anacolutha — in quibus altera aequalium sententiae partium seorsum effertur, nullo eas aequales esse sententiae partes orationis indicio, ita ut sententia sit anacolutha non verborum constructio.

Eo pertinet quod Cic. in III. de fin. 11. post „quos bonos viros — audivimus in republica fuisse, eos — melius a natura institutos fuisse quam etc.;“ quod ex „sentio“ quod quidem ex superiore „sentiam“ audiendum est, pendet, rectam et liberam orationem instituit „ceterae philosophorum disciplinae —.“ De nominativo pendente suo loco disputabitur. Sic altera pars quae — si sententiam spectas — aeque ac prior ab „ut“

pendere debebat, sententiam non aliunde pendentem constituit in I. de off. 64. „Ex quo fit ut patiantur —: existuntque —.“ Similiter in I. de fin. 43. „Sapientia est enim una quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat; qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest etc.“ tertium relativae sententiae membrum eadem ex caussa qua priora coniunctivo efferri debebat, sed — ut Madvigius ait — propter adiectum „praeceptrice“ seorsum prolatum est.

Similis est de off. II. 21. „Quaecumque igitur homines homini tribuunt — aut benevolentiae gratia faciunt —; aut honoris —; aut cui fidem habent —; aut cuius opes metuunt —; aut contra a quibus aliquid expectant —; aut postremo pretio ac mercede ducuntur etc.“ quod postremum diiunctionis membrum proprio suo verbo finito effertur. Nonnumquam etiam si priore enuntiatione secundaria aliquid negatur, altera „sed“ introducta, quo quid rei sit dicitur, non ad sententiam primariam accomodatur sed proprio suo verbo finito seorsum effertur. Sic I. de off. 6. „Sequimur igitur — Stoicos, non ut interpretes; sed ut solemus e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro — hauriemus.“ pro „hauriemus“ expectabatur „haurientes.“ et III. deor. 123. „dummodo illa — transferamus, neque — omnem teramus in his discendis rebus aetatem, sed — hauriemus.“ coniunctivus „hauriamus“ poni debuit. Haec quoque membrorum inaequalitas huc spectare videtur, cum, quod saepe fit, relativa sententia in demonstrativam transit, ut in I. de fin. 42. „Quoniam autem id est summum — bonorum, quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes etc.“ et II. de fin. 5. „nam hunc ipsum sive finem — definie-

bas id esse quo omnia quae recte fierent referrentur, neque id ipsum usquam referretur.“ In priore exemplo adversative oratio continuata est ita ut pronomine opus esset expresso, et in altero quoque exemplo, etsi „autem“ vocula abest, eadem est sententia. Sed idem saepe fit in oratione copulative continuata, ut in II. de off. 13. „quae nec haberemus nisi manus et ars accessisset, nec his sine hominum administratione uteremur.“ ibid. 18. „quorum studiis ea quae natura desiderat, expleta cumulataque habeamus, per eosdemque si quid importatur nobis incommodi, propulsemus etc.“ ibid. 37. „Quae qui in utramque partem excelso animo magnaque despiciunt, cumque aliqua iis ampla et honesta res obiecta est etc.“ Tusc. II. 61. „at non noster Posidonius, quem et ipse saepe vidi et id dicam quod solebat narrare Pompeius etc.“

Iam ad ipsam hanc speciem transeundum est. Ac primum non solum post plures easque longas et a proposito alienas sententias interiectas sed etiam post breves easque necessarias sententias secundarias interpositas sic ab instituto orationis cursu declinatum est. [uelut de div. I. 111. (p. 44.) Partt. or. 14. 50. (p. 44.) de or. II. 98. (p. 45.)] Deinde quae ista altera parte continetur sententia saepe non solum alia forma sed etiam cum alia sententia coniuncta aut prorsus immutata profertur, velut de div. I. 126. (p. 46.) Tusc. III. 5. (p. 46.) de div. I. 63. (p. 47.) Top. 93. (p. 47.) IV. D. II. 6. (p. 48.) de or. I. 214. (p. 49.) ibid. II. 48. (p. 82.) ibid. I. 217. (p. 82.) de off. II. 33. (p. 84.) de legg. II. 63. (p. 84.) de div. I. 114. (p. 85.) ibid. I. 40. (p. 86.)

Sed huius speciei exempla non secundum varias

orationis avertendae rationes dividam, ne, quod cognitione dignissimum est, quibus in particulis talia fiant, minus perspicuum fiat, sed Madvigio auctore, quae in eadem particula fiunt, ea componam, singularum vero formarum exempla secundum ipsas orationis avertendae rationes digeram.

II. 1.

Atque primam formam Madvigius posuit eam, quae in connexione copulativa quae fiat particula „et" geminata, accidat. Quae vir ille doctissimus de falsa Handii opinione „et" sic semel positum intendendi aliquam vim habere disputavit, ea hic repetere, cum res extra ullam dubitationem posita sit, supervacaneum visum est.

a.

Atque alterius membri sententia alia tantum forma adiungitur in I. de div. 111. „nam et natura futura praesentiunt, ut aquarum fluxiones —, alii autem, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt etc." Cum Cic. partitionem rationum praesentiendi instituisset, orationem, paucis interpositis sic continuavit, tamquam subiectorum facta esset partitio, ipsam alteram de qua agebatur praesentiendi rationem tamquam subiecti proprietatem participio efferens. Sic de leg. Manil. 7. 17. „nam et publicani —. Deinde ceteris ex ordinibus homines gnavi et industrii etc." partitione subiectorum facta, tamquam enumeratio instituta esset, „deinde" introducitur. Part. or. 14. 50. „Saepe etiam quaestionibus resistendum est, quod et dolorem fugientes multi in tormentis ementiti persaepe sunt —. Multi etiam suam vitam neglexerunt etc." alterum membrum neque ex „quod" pendet, ut prius, et partitio simplici, quae per „etiam" fit adiunctione

permutatur. de fin. II. 13. „Nam et ille apud Trabeam „voluptatem animi nimiam" laetitiam dicit —. 14. In eo autem voluptas omnium Latine loquentium more ponitur etc." Altera partitionibus pars, post plura interposita, „autem" vocula priori opponitur, partitione quae fieri videbatur subiectorum, voluptatis voculae significationum facta. de or. II. 98. „quod et in vobis animadverti recte potest. Caesar et Cotta, quorum alter — alter — est consecutus. Neque vero vester aequalis Curio patre, mea sententia, vel eloquentissimo, temporibus illis, quemquam mihi magnopere videtur imitari etc." Cum Cic. proprietatem antea expositam (neminem imitari etc.) tribus, Caesari Cottae Curioni sic attributurus esset ut (cum priores duos uno membro comprehendisset) „et" geminato duo faceret membra, in priore membro eam pronomine relativo designat, in posteriore per se posito, „vero" introducto, denuo ipsam rem dicit („neque vero Curio — quemquam — videtur imitari").

Similis ratio est loci qui extat in or. in Pis. 83. „Notata a nobis sunt et prima illa scelera in adventu, cum — evertisti — et iussisti. quem — affecisti, sed — imperasti ut —: cum — quem necasti verberibus —. Idemque tu Rabocentum, Bessicae gentis principem cum te XXX. talentis regi Cotto vendidisses, securi percussisti etc." Cum Cic. Pisonis scelera, quae notasset, dicturus esset, alteram eorum partem generali aliqua notione designat („prima in adventu"), enuntiatis secundariis ad res accuratius significandas usus, alteram, se Pisonis scelera sibi notata secundum tempus quo ille fecisset partiturum fuisse oblitus, eadem qua sententias interpositas constructione effert tamquam non

quae sibi notata essent sed in universum quae fecisset Piso enarraturus fuerit.

b.

Nonnumquam alterius membri sententia ex aliqua sentiendi notione suspensa est ut I de div. 126 „ita fit ut et observatione notari possit quae res quamque caussam plerumque consequatur, etiamsi non semper nam id quidem affirmare difficile est. Easdemque caussas veri simile est rerum futurarum cerni ab iis qui aut per furorem eas aut in quiete videant.“ Illud etiam adnotandum est — idquod saepius fieri iam vidimus — quod in altero membro altera earum rerum quarum partitio instituta erat, (altera ista cognoscendi ratio) tamquam proprietas subiecto (quod quidem logicum est „ab iis“) relativo enuntiato adnectitur (qui per furorem — videant“). Coniungitur vero altera pars cum priore eo pronomine quo logica relatio designatur „que“ particula aucto, ad utriusque verbi finiti (notandi et cernendi) obiectum relato. Sic Tusc. III, 5 „At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi, quam corporis hi enim ipsi odiosi sunt etc. — qui vero probari potest ut sibi mederi animus non possit, cum ipsam medicinam corporis animus invenerit etc.“ altera sententiae pars a probandi notione pendet. Cum Cic. ut corporis sic animi morbis medicinam afferendam esse dixisset, ad ea quae contra dici poterant refutanda, duas res „et“ geminato prolaturus erat. Posteriorem vero, posse curari animi morbos, sic effert ut contrariam sententiam probari prorsus non posse dicat. Atque eo fortiorem etiam reddidit orationem quod sententiam istam interrogatione rhetorica protulit.

c.

Nonnumquam altera earum rerum quae ad sententiam aliquam supra positam probandam afferuntur, cum ea sententia iterum posita coniungitur. Sic Cic. I de fin. ~~210~~ post „Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis, quod mors sensu careat, dolor in longinquitate levis in gravitate brevis soleat esse, ut eius magnitudinem celeritas diuturnitatem adlevatio consoletur“ debebat pergere „et tranquillitatem quom divinum numen non horreat et memoriam praeteritarum voluptatum.“ Sed hoc cum superiore sententia „quem tandem hoc statu (eius qui magnis multis perpetuis fruitur et animo et corpore voluptatibus nullo dolore nec impediente nec impendente) praestabiliorem aut magis expetendum possumus dicere?“ sic coniunxit §. 41. „Ad ea quom accedit ut neque divinum numen horreat nec praeteritas voluptates effluere patiatur earumque assidua recordatione laetetur, quid est quod huc possit quod melius sit accedere?“

I de div. 63. Cic. cum de animi divinitate disputasset dixissetque hoc „itaque appropinquante morte multo est divinior (animus)“ id ut probet tamquam duas res allaturus, sic pergit. „Nam et id ipsum vident qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem.“ Deinde cum quid inde consequi soleret nonnullis attigisset sic pergit: „Divinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Posidonius etc.“ Top. 25, 93 „Atque etiam in deliberationibus et laudationibus iidem existunt status. Nam et negantur saepe ea futura, quae ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt aut sine summa difficultate non possunt.

In qua argumentatione status coniecturalis existit. At, cum aliquid de utilitate honestate aequitate disseritur, deque iis rebus quae iis sunt contrariae, incurrunt status aut iuris aut nominis." Debebat altera earum rerum quae deliberationibus negari possent pars dici. Sed res quae in deliberationem cadant tamquam protasis „cum" coniuhctione proponuntur, sententia vero, status incurrere, iterum ponitur tamquam apodosis.

d.

II. N. D. 6. „Itaque et in nostro populo et in ceteris deorum cultus religionumque sanctitates existunt in dies maiores atque meliores. Idque evenit non temere nec casu, sed quod et praesentiam saepe divi suam declarant, ut etc." Post multa exempla interposita pergit Cic. „Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea quae sint ostendi monstrari portendi praedici?" Cum Cic. probaturus esset non temere evenire quod deorum cultus in dies existerent maiores alteram posuit caussam quod divi saepe praesentiam suam declararent, alteram positurus erat praedictionum et praesensionum rerum futurarum. Eam vero neque ex „quod" suspendit neque simpliciter protulit neque — id quod in prioribus exemplis fieri vidimus — cum sententia proxime superiore cuius probandae caussa etiam prior pars allata erat, coniunxit. Sed quam huius sententiae alteram prolaturus erat caussam, eam profert tamquam alius sententiae probationem („re vera hominibus quae sint praedici") qua id probetur cuius probandi caussa etiam priores duas sententias (religionum cultus in dies existere maiores, et id non temere nec casu fieri) attulerat, deos esse. Eo enim tendere ista „Praedictiones vero — quid

aliud declarant nisi — ostendi?" eo docemur quod Cic. exemplis tantum pluribus interpositis §. 12 sic pergit: „Quid? haruspicum ars nonne divina? haec innumerabilia ex eodem genere qui videat nonne cogatur confiteri deos esse? quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est."

Aperte in nostrum etiam locum quadrat quod Madvigius in prolegg. ad libros de finibus dicit p. LXV. Ciceronem nonnulla sic posuisse ut non satis appareret quo spectarent, in quibusdam non satis attendisse ad disputationis progressum, nonnullis locis argumentorum ratione conclusorum formam et vim parum expressisse.

Similiter altera partitionis pars cum sententia longius remota coniungitur I. de or. 214. „Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis sed ingenii sui finibus immensis paene describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula tradidit etc." Sequi debebat. „et philosophiam" sed cum Antonius permulta interposuisset hoc cum eo coniunctum profert quod § 213. in. dixit, se oratorem non facere eundem quem Crassum. Pergit enim 219: „Neque vero istis tragoediis tuis quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor, quod ista dixisti, neminem posse eorum mentes qui audirent, aut inflammare dicendo aut inflammatas restinguere — nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perspexerit: in quo philosophia sit oratori necessario percipienda etc."

e.

Fit quoque ut ea quae ex duobus exemplis ad sententiam aliquam probandam concludenda sunt, non his duobus demum prolatis concludantur, sed postquam

post prius quid inde sequeretur dictum sit non ipsum posterius dicatur sed tamquam id notum sit continuo quid inde sequatur proponatur. Sic Cic. II. de or. 48: ut confirmet sententiam non omnia quae cadant aliquando in oratorem sic tractanda esse tamquam nihil possit dici sine praeceptis suis, haec dicit: „Nam et testimonium saepe dicendum est —. Num igitur placet cum de eloquentia praecipias, aliquid etiam de testimoniis dicendis quasi in arte tradere?“ Deinde brevi Catuli responso interposito sic pergit: „Quid si (quod saepe summis viris accidit) mandata sint exponenda —? Num quia genere orationis in huiusmodi caussis accuratiore est utendum, idcirco pars etiam haec caussarum numeranda videtur aut propriis praeceptis instruenda?“ Aperte post „nam et testimonium saepe dicendum est“ poni debebat „et mandata exponenda.“ I. de or. 217: „eademque ratione dicantur et quos φυσικοὺς Graeci nominant, iidem poetae, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit. At hoc ne philosophi quidem ipsi qui omnia sicut propria sua esse — volunt, dicere audent, geometriam aut musicam philosophi esse quia Platonem omnes in illis artibus praestantissimum fuisse fateantur.“ Atque sententiam aliquam ex iis quae inde sequerentur falsis, ipsam falsam esse demonstrandum erat (quemque qui in aliqua arte et facultate excellens aliam quoque artem sibi assumsisset, perficere ut quod praeterea sciret id eius in quo excelleret partem quandam esse videri). Atque cum priores duas res, quae inde sequerentur („licet ista ratione dicamus pila bene et duodecim scriptis ludere proprium esse iuris civilis quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit“ et „eademque ratione dicantur etc.“) tantum quae essent exposuisset, tertiam non quae sit sed tantum eam falsam esse dicit. Idque sic instituit ut „ne — quidem“ voculis significet priores duas vel minus esse posse quam hanc, itaque quod haec falsa sit eo tamquam argumento uti possit ad probandum etiam illas falsas esse. Unde dixit „At hoc etc.“ Ceterum recte Rhodius orationem sic continuandam fuisse dicit „eademque r. d. *et* quos φυσικοὺς Graeci nominant iidem poetae quoniam Empedocles — fecerit, *et* philosophi iidem geometrae et musici quia — fateantur“ non ut Matthiaeus voluit „et philosophi iidem essent geom. et musici.“ Horum simile est quod legitur II. de off. 33. „Nam et iis fidem habemus quos plus intellegere quam nos arbitramur —. Iustis autem et fidis hominibus — ita fides habetur ut nulla sit in his fraudis iniuriaeque suspicio.“ Eorum enim quibus fides habeatur partitione instituta, altero membro non quibus fides habeatur sed statim quemadmodum iis fides habeatur dicitur.

f.

Duobus in exemplis Cic. propter interiectorum longitudinem partitionis prorsus oblitus, quae dixerat in fine prioris membri enuntiato „atque“ vel „igitur“ introducto per per pronomen demonstrativum breviter attigit indeque ea quae altero membro contineri debebant vel adversativa vel copulativa sententia nexuit: II de legg. 63 „Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit etc.“ §. 67: „Haec igitur Athenienses tui. Sed videamus Platonem qui etc.“ et I de div. 114 „Ergo et ii quorum animi, spretis corporibus evolant atque excurrunt foras — cernunt illa profecto, quae vaticinantes praenuntiant etc.“ §. 115 „Atque haec quidem vatum ratio est. nec dissimilis sane sommiorum etc.“

Simile illud est in I de div. 40 ubi Cic. ad suam

ni de somnis sententiam probandam exemplis usurus est iisque et fictis quae quidem non absint a vera consuetudine somniorum et propriis (inde a cap. 22. §. 43. „sed ad propria videamus etc.“). Dicit igitur §. 40: „Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poetarum? narrat enim et apud Ennium Vestalis illa. — “ His Madvigius respondere putat haec §. 42: „Sit sane etiam illud commenticium, quo Priamus est conturbatus.“ Sed quia Cic. dixit „et apud Ennium“ eum duorum poetarum eius modi locos excitaturum fuisse itaque alterum membrum in his inesse puto §. 43 in. „Sint haec, ut dixi, somnia fabularum: hisque adiungatur etiam Aeneae somnium: quod in Numerii Fabii Pictoris Graecis annalibus eiusmodi est ut etc.“ Exempla „et“ recte semel tantum positi afferre supersedeo cf. Madvg. l. l. p. 804. extr. et p. 805. in.

2.a.

Proxima forma est cum dissolvitur copulatio negativa quae fit „neque“ geminato. Atque partitione neglecta alterius membri sententia prorsus integra, nisi quod non ex sentiendi verbo pendet, rhetorica interrogatione effertur I de fin. 23. „Sed ita prorsus existimo neque eum Torquatum qui hoc primus cognomen invenit, aut torquem illum hosti detraxisse ut aliquam ex eo perciperet corpore voluptatem aut etc. — 24. Quid? T. Torquatus, is qui consul cum Cn. Octavio fuit quom — numquid videtur tibi de voluptatibus suis cogitavisse?“ Alia nec tamen dissimilis ratio est loci qui extat IV Tusc. 59 „nam neque omnis aegritudo una ratione sedatur, alia est enim lugenti, alia — alia — adhibenda medicina, est etiam in omnibus quatuor perturbationibus illa distinctio utrum ad universam perturbationem quae

est aspernatio rationis, — an ad singulas, ut ad metum libidinem — melius adhibeatur oratio etc.“ Aperte in altero membro „et“ illi „neque“ respondere debebat. Hoc vero eius loci proprium est quod altera sententia seorsum prolata („est etiam“) — revera priori inaequalis est, ut Cic. eo potius peccasse videatur quod inaequales sententiae partes tamquam aequales copulaturus erat. Enimvero quas supra aegritudinum sedandarum varias dicit rationes, eae in ipsa aegritudinum varietate positae sunt, sed quam dicit in omnibus IV perturbationibus esse distinctionem, ea est duplex sanandi ratio quarum utrique in quaque perturbatione locus sit ita ut optio data sit, alteramque esse altera meliorem ipse Cic. paullo post exponat. Simile est quod legitur in Taciti hist. IV, 34. „Vocula nec adventum hostium exploravit eoque simul egressus victusque; dein victoriae parum confisus, tritis frustra diebus castra in hostem movit, quem si statim impellere cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuit.“ Aperte Tacitus partitionis loco in posteriore membro enumerationem substituit. Sed in hoc quoque loco singulare aliquid inest. Recte Mdvigius dicit haec duo (non — exploravisse et dein victoriae parum confisum tritis fr. dieb. etc.) in Vocula reprehendi. Tamen haec duo aequalia non sunt. Nam cum Tacitus enarraturus esset quae utriusque ducis (Voculae et Civilis) fuisset culpa qua meritus esset adversa (nam dicit cap. 34 in. „Dux uterque pari culpa meritus adversa, prosperis defuere: nam Civilis si etc.“ Vocula etc.“), Voculae culpa haec erat quod adventum hostium non exploravit, eoque victus est. Quod vero postquam Vasconum cohortes hostes a tergo invaserunt

itaque Civilis prorsus victus est, ipsaque Germaniae robora caesa sunt (cap. 33) victoriae parum confisus dies trivit, id reprehendi sane potuit, sed non ad eam culpam pertinet qua meritus erat ista adversa.

b.

Duo novi exempla in quibus ad alterius membri sententiam aliquid accedit. Sic „ne-quidem“ pro „neque“ posito alteram negationem maioris etiam momenti esse ac minus expectandum fuisse significatur Tac. hist. II, 82. „donativum militi neque Mucianus prima contione nisi modice ostenderat, ne Vespasianus quidem plus civili bello obtulit quam alii in pace etc.“ et ann. XI, 6. in copulatione ex affirmatione et negatione mixta „alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari; ne fidem quidem integram manere, ubi etc.“

c.

Alia sententia substituitur Lael. 73. „Deinde etiam quantum ille (sc. tantum ei tribuendum est) quem diligas atque adiuves, sustinere (sc. possit.) non enim neque tu possis, quantumvis excellas omnes tuos ad honores amplissimos perducere ut etc. quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum videndum est tamen quid ille possit sustinere.“ Sed ad superius praeceptum („tantum autem cuique tribuendum etc.) probandum dici necesse erat re vera non quemque quem diligeres omnes posse honores sustinere quos tu posses ad eum deferre. Falso igitur Cic. iterum praeceptum, videndum esse etc. admisit. Ceterum rectissime Madvigius l. l. p. 806 „Singulare in hoc loco est, quod praecedit „non“ quam negationem deinde divisurus erat (Cic.) nota figura: „non enim neque tu — neque illi —“. Itaque nunc „neque“ abundare videtur, sed

Cic. adsecutus est id quod nos adsequimur sic dicentes „denn auf der einen Seite wirst du nicht etc.“ Gravissimum eiusmodi anacoluthon est in II de fin. 71. „nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui ne malum habeat, abstinet se ab iniuria etc. —. §. 72. Quae dici eadem de ceteris virtutibus possunt, quarum omnium fundamenta vos in voluptate tamquam in aqua ponitis. Quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum etc.“ Aperte Cic. partitionis supra institutae oblitus est. Sed hoc huius loci proprium est, quod pro ea sententia quae altero membro contineri debuit, generalis aliqua sententia substituitur, ita ut non de specie sed de toto genere dicatur, id vero quod praedicari debuit, pronomine relativo denotatur, ipsa denique ea res cuius loco generalis sententia posita est, huic tamquam exemplum subicitur.

3. a.

Tertia forma est cum alterum diiunctionis quae duplici „aut“ aut „vel“ significatur membrum seorsum effertur. Atque primum locum iterum ea exempla teneant in quibus alterius membri sententia prorsus integra alia tantum forma profertur ut in IV de fin. 77. „Quasi vero aut concedatur in omnibus stultis aeque magna esse vitia —; et quasi nihil inter res quoque ipsas in quibus peccatur intersit etc.“ et I de off. 9. „Nam aut honestumne factu sit an turpe dubitant, id quod in deliberationem cadit; in quo considerando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. *Tum* autem aut anquirunt aut consultant ad vitae commoditatem iucunditatesque — conducat id necne de quo deliberant.“ Vulgo omittitur „aut“ post „nam“ Recte Madvigius l. l. p. 807. „itaque vitiose cum triplex com-

memorata sit dubitatio, una videtur proponi; debebat saltem dici „nam primum““. Quod vero vir doctissimus optimos codices „aut“ habere dicit: habent a. d. e. f. λ. ψ, non habent neque b. c. μ. Guelpterlytani Goth. Vin. neque quisquam veterum impressorum, neque de Gruteri Anemoecii Langii Graevii codicibus quidquam traditur, quorum saltem Heusingeri, unum et alterum, ubi notabilior discrepantia est, excitare solent. Ergo alterius tantum familiae aliqui libri „aut“ habent. Eius vero optimus Bern. b. esse videbatur. Is enim diligenter accurateque scriptus vera et falsa pari fide tradidit. Bern. a. autem in lectionibus tradendis saepius suo iudicio usus esse videtur. Sic ingerit I, 28. „cum“ ante „alterum“. I, 104. „libero“ post „homine“. 144. „verba“ post „convivio digna“. Stulte I, 21. retinuit „ex quo“ et admisit „plus“. Ibi enim duplex lectio est. Meliores libri aut habent „eo si quis plus sibi appetet“ (ut Gu. sec.), ut suo plus appetendi notio praevaleat, aut „ex quo si quis sibi appetet“ (ut b. E. c. Gr. Lgii Lbini Gruteri codd.), ut sententia sit „ex eo quod alii obtigit, si quis sibi appetet“ itaque aliena appetendi notio praevaleat. Apertum igitur est, quam stulte Bern. a. cum aliquibus deterioribus (etiam Gu. pr. cuius librarii stuporem ignorantiamque C. Heusingerus in proligg. p. XVIII. satis denotavit) retinuerit „ex quo“, „plus“ admiserit. Ergo si „aut“ archetypi fuerit — quo inclino —, necesse est, cum unde alterius familiae libri fluxerunt id aut casu aut eo deceptum quod non alterum „aut“ sequeretur omisisse, (nam sententiarum nexum illi non admodum sectabantur) alterum medium quem inter arch. et Bern. Guelpherbytanosque

interposui retinuisse, eius vero familiae iterum aliquos eadem ista de caussa omisisse.

Huc spectat etiam III de or. 65 et 86. „Sed utrumque est in his quod ab hoc, quem instruimus, oratore valde abhorreat, vel, quod omnes qui sapientes non sint, servos latrones hostes insanos esse dicunt; etc. — §. 66. Accedit quod orationis etiam genus habent fortasse subtile et acutum sed etc.“ Quem locum quod Mdvigius ei qui est in I de fin. 40 „inesse necesse est in eo- et firmitatem animi etc. §. 41 „Ad ea quom accedit ut etc.“ (cf. p. 78) simillimum esse dicit: 'est sane externa adiunctionis forma similis, sed eo differt quod altera sententia non ut illo loco protaseos formam subit cum sententia superiore, iterum posita, tamquam apodosi coniunctae.

Alia ratio est loci qui extat or. 229 „ne aut verba traiciamus aperte etc. — §. 230. Apud alios autem — numero servientes inculcata reperies inania quaedam verba etc. — §. 231. Tertium est etc.“ Cum Cic. eas res quae ne fierent monere voluit, triplici „aut“ diiuncturus esset, non solum diiunctionem deserit, et posteriores simpliciter enumerat, sed etiam priori inaequales eas sententias reddidit eo quod posteriora duo vitia tantum admitti a quibusdam dicit, ne fiant admonere obliviscitur.

c.

Singulare videtur quod legitur in Brut. 53. ubi Cic. ut L. Brutum eloquentem fuisse probet, haec dicit: „Quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Bruto illi — defuisse? qui de matre savianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit; qui summam prudentiam simulatione stultitiae texerit; qui potentissimum

regem clarissimi regis filium expulerit civitatemque perpetuo dominatu liberatam magistratibus annuis legibus iudiciisque devinxerit; qui collegae suo imperium abrogaverit ut e civitate regalis nominis memoriam tolleret; quod certe effici non potuisset nisi esset oratione persuasum.“ Quo de loco Otto Iahn vir clarissimus non recte dicere videtur alterum membrum esse debuisse „aut eloquentiam.“ Nam Cic. eas duas proprietates Bruto attributurus rebusque ab eo gestis confirmaturus fuisse videtur, quibus eloquentia contineretur, ut ubi illae adfuissent, eam abesse non potuisse concludi posset. Quarum priorem ingenii celeritatem cum appellasset statimque ad res gestas quibus eam probaret, relativis enuntiatis enarrandas transiisset, non dicit alteram proprietatem, quae esse debebat verborum copia et cum vi suavitateque dicendi facultas ita, ut, ea quoque exemplis confirmata, planum esset eloquentiam Bruto deesse non potuisse, sed cum aperte non potuerit huius posterioris proprietatis solius argumenta afferre, — sicut supra celeritatis ingenii („qui — acute conieceerit — texerit“) — statim eas res a Bruto gestas, eadem constructione prioribus adnectit, quibus non alteram tantum eloquentiae partem sed universam eloquentiam (quae et celeritate ingenii et ea altera, copiose ornateque dicendi facultate continetur) eius fuisse confirmari possit.

4.

Eadem aequalium sententiae membrorum dissolutio accidit in „alter“ geminato et in „unus — alter“ ita ut prius superioribus appositione adnectatur, posterius diiungatur et novam sententiam ducat ut in I de or. 123. „has caussas inveniebam duas: unam quod. — Altera est haec etc.“ IV de fin. 14. „his verbis tria

significari Stoici dicunt, unum eiusmodi vivere adhibentem scientiam earum rerum quae etc. § 15. Alterum significari idem ac si diceretur etc. Tertium autem omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum naturam sint, fruentem vivere.“ I de off. 18 et 19. „duo vitia vitanda sunt, unum ne etc. — Alterum est vitium quod etc.“ II de or. 294. „Duo denique illa — mihi pro meo iure sumo; unum, ut —. § 295. Alterum est illud quo etc.“ Paullo durius est ubi Cic. partitionis prorsus oblitus est in III de fin. 72. „Ad easque virtutes — dialecticam etiam adiungunt et physicam, easque ambas virtutum nomine appellant, alteram quod habeat rationem etc. § 73. Physicae quoque non sine caussa tributus idem est honos quod etc.“ Alia sententia cum altero membro coniuncta est V de fin. 68. „Ita fit, ut duo genera propter se expetendorum reperiantur, unum quod est in iis, in quibus completur illud extremum, quae sunt aut animi aut corporis; haec autem quae sunt extrinsecus, id est, quae neque in animo insunt, neque in corpore ut amici etc. sunt illa quidem sua sponte cara, sed eodem in genere, quo illa, non sunt.“ Similis est hic locus ei de quo in prima forma p. 84. disputatum est, II de off. 33.

5.

Eius formae summam similitudinem habet ea cum enumeratio pronominis demonstrativi plurali numero significata interrumpitur velut in V de fin. 21. „haec in praesentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse, quando ad maiora quaedam, ut iam apparebit, nati sumus. De vacuitate doloris eadem fere dici solent quae de voluptate.“ Nam coepit Piso dicere de omnibus sententiis, quas deinceps breviter removit, quasi

omnem earum enumerationem eadem forma his verbis „haec nota esse debebunt“ subiecturus. Sic Cic. Phil. V, 17. haec dixit: „An illa non gravissimis ignominiis monumentisque huius ordinis ad posteritatis memoriam sunt notanda, quod unus M. Antonius in hac urbe post urbem conditam palam secum habuit armatos?“ ut saepius „quod“ subiecturus videretur pronomini „illa“. Sed in prima parte nonnihil digressus § 18 cap. 7. sic pergit „Illud vero taeterrimum auditu — in cella Concordiae collocari armatos etc.“ Eadem ratio est loci pro Mur. 38. „Num tibi haec (quae dicam) parva videntur adiumenta et subsidia consulatus? Voluntas militum? quae etc. —. Sed si haec leviora ducis quae sunt gravissima et hanc urbanam suffragationem militari anteponis, noli ludorum huius elegantiam et scenae magnificentiam valde contemnere.“ Rectissime Madvigius l. l. p. 809. „Nam quod volgo sic hunc locum interpungunt „voluntas militum? quae cum per se valet multitudine, cum apud suos gratia, tum vero in consule declarando multum etiam apud universum populum Romanum auctoritatis habet. suffragatio militaris? etc.“: ea vero (suffragatio militaris) perspicue ipsa est voluntas militum, ut sic oratio distinguenda sit: „tum vero — habet suffragatio militaris.““ Atque cum Cic. duas res quas infra positurus esset, gravissimas esse rhetorica interrogatione contendisset, alteramque earum appellavisset, alteram aliquanto post sic extulit ut non modo sententiam superiorem (eam gravissimam esse) — non quidem affirmandi sed praecipiendi forma (noli contemnere) — repeteret, sed etiam protasin aliquam unde necessitas haec praecipiendi consequeretur, ipsi praecepto praeponeret.

6.

Eadem membrorum dissolutio accidit in „non modo — sed etiam“. Sic per se ponitur quod pendere debebat II. de or. 182 „cum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius quamquam etc.) sed alia sunt maiora multo etc.“ Hic (ut saepius) orationis avertendae ansam dedit sententia interposita. Sed de or. I. 264. „Verum ego non solum arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is qui etc. —; sed maius quiddam videbam etc.“ recte Rhodius (p. 38) ideo in anacoluthis non habendum esse censet quod „non solum“ verba ita posita sunt, ut totae enuntiationes non partes earum sibi adversentur. Durissimum eius formae exemplum est quod extat in I. Tusc. 77. „catervae veniunt contra dicentium, non solum Epicureorum, quos equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimus quisque contemnit, acerrime autem, deliciae meae Dicaearchus contra hanc immortalitatem disseruit.“ Quae eidem praepositioni servire debebant, dissolvuntur in I Acad. 40. „De sensibus ipsis (Zeno) quaedam dixit nova; quos iunctos esse censuit e quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille φαντασίαν nos visum licet appellemus, et teneamus hoc verbum quidem; erit enim utendum in reliquo sermone saepius. Sed ad haec quae visa sunt et quasi accepta sensibus adsensionem adiungit animorum“. Debebat dicere iunctos ex impulsione oblata extrinsecus et ex adsensione animorum.“ De emendandi conatibus falso admissis v. Madvigium l. l. p. 811.

8.

Nonnumquam alterum eorum membrorum quae aeque ad „ut“ particulam referri debebant, per se ponitur.

Eius rei exempla haec sunt: de off. I. 8. „Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant; medium autem officium id esse dicunt etc.“ Praeter aliquos libros impressos soli e et Gu. qtus habent „dicant“, manifestum emendandi conatum. ibid. 17.“ Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur; ut et societas hominum — servetur, — et animi excellentia — eluceat. Ordo autem et constantia et moderatio — versantur in eo genere ad quod adhibenda est actio quaedam etc.“ Minime quidem „versentur“ coniunctivum ponendum fuisse puto, sed — nam tota haec enuntiatio supervacanea est — „Reliquis autem — ut et societas — servetur, et animi excellentia — eluceat, et honestatem decusque conservemus.“ vel tale quid.

De fin. I. 45. „Quarum ea ratio est ut necessariae nec opera multa nec impensa expleantur. §. 46. Ne naturales quidem multa desiderant etc.“ De or. II. 4. „Sed fuit hoc in utroque eorum, ut non tam existimari vellet non didicisse quam illa despicere etc. Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat etc.“ Ibid. 293. „Summa denique huius generis haec est, ut si in refellendo adversario firmior esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus potest, omnia in illum conferam tela; sin nostra facilius probari quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione et ad nostram conor traducere.“ Tusc. III. 73. „ex hoc evenit, ut in animi doloribus alii solitudines captent, ut etc. — sunt autem alii quos in luctu cum ipsa solitudine loqui saepe delectat ut etc.“

De fin. II. 11. „Quis est enim qui non videat, haec

esse in natura rerum tria? unum quom in voluptate sumus, alterum quom in dolore, tertium hoc in quo nunc equidem sum, credo item vos, nec in dolore, nec in voluptate; ut in voluptate sit qui epuletur, in dolore qui torqueatur. Tu autem inter haec tantam multitudinem hominum non vides nec laetantium nec dolentium?“ Quod expectabatur exemplum proponitur nullum sed iterum notionibus generalibus hoc tertium genus describitur. Recte Madvigius (ad h. l.) dicit inde hoc anacoluthon ortum esse quod difficile fuisset relativam sententiam apte specialibus exemplis explere quoniam in eam omnia caderent quae duobus prioribus generibus non continerentur. Ambigitur de loco qui extat in I. de or. 12. „Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio, in medio posita, communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versatur; ut in ceteris id maxime excellat quod longissime sit ab imperitorum intellegentia sensuque disiunctum, in dicendo autem vitium vel maximum est a vulgari genere orationis — abhorrere.“ Atque quae fuerit archetypi codicis (v. Henrichsenium prolog. ad libros de or.) lectio difficile est diiudicatu. Quae vero Henrichsenius v. cl. utriusque lectionis proposuit testimonia („sit“ Haun. uterq. Norf. α. β. C. Jul. Victor in arte rhet. a Maio ed. [iuris civilis anteiustin. rell. Romae 1823] p. 80. et sic vulgo inde ab Aldo usque ad Grut., item Pearc. Ern. Sch. Mueller. — „est“ Z [quem ipse Henrichsenius prolegg. p. XII., omnium codd. fortasse optimum dicit] γ. δ. ε. Guelf. A. Erf. et fortasse Erlang. uterque, edd. antiquiss.), ea mihi quidem ita comparata esse videban-

tur, ut „est“ antiquitus traditum esset „sit“ aut — ut saepe — ex vetere illo „st“ ortum esset aut notissimo librariorum anacoluthorum tollendorum studio deberetur. Iam si Henrichsenius „sit“ archetypi esse sibi videri dixisset, viro, qui uniuscuiusque illorum librorum dignitatem optime nosset et omnino earum quaestionum diiudicandarum esset peritissimus, cedere non dubitarem. Sed quod anacoluthon ideo defendi posse negat, quia nulla interposita sit sententia, id falsum esse de or. II. 4. (h. l. p. 100.) et de off. I. 8. (p. 90.) exemplis facile demonstratur. Quae exempla cum prorsus eam rationem habere videantur, propter quam Madvigius vir clarissimus nostro loco anacoluthon ferri non posse censet (dicit enim in Emend. in Cic. de legg. libr. et Acad. p. 52. „ubi [nostro loco] cum in hoc genere sententiae vis omissis coniunctionibus, in tota orationis forma perspiciatur in hac re acuratus fuisse Cic. putandus est“) ea quoque „est“ reiciendi caussa non satis valere videtur.

B.

Alterum genus est eorum anacoluthorum quibus Rhodius nomen imposuit subordinativis i. e. quae existunt si sententiarum, primariae et secundariae, altera aut prosus desideratur aut alteri non recte respondet. Quod totum genus cum vertatur in aliqua duarum cogitationum confusione haud abs re fore visum est, si eas eius rei species praemittimus quae cum minus insolentes fuerint tamque usu firmatae ut paene legitimae viderentur, non in anacoluthis habendae sunt sed ad eam figuram quam breviloquentiam dicimus pertinere videntur. Atque saepe — quam falso Rhodius ellipsin esse dixit — adducendi verbi notio cum eius rei no-

tione ad quam quis adducitur, effectum dico, quae est sententia aliqua vel opinio, ita confunditur, ut quod ad hanc referri debuerit, ad illam referatur ut II de legg. 6. „ut iam videar adduci, hanc quoque quae te procreavit, esse patriam tuam.“ epp. Att. XI, 17. „sed ego non adducor quemquam bonum ullam salutem putari mihi tanti fuisse ut etc.“ pro Cluent.. 104. „Adducti iudices sunt, non modo potuisse honeste ab eo reum condemnari, — sed —.“ alibi.

Similiter quae a sentiendi notione pendere debebant, cum ea ita confunduntur, ut tamquam eius loco posita, ab „ut“ pendeant velut in I de fin. 14. „Nam illud quidem adduci vix possum ut ea quae senserit ille, tibi non vera videantur.“ de fin. IV, 55. „— ipsa veritas clamabat quodam modo, non posse adduci, ut inter eas res quas Zeno exaequaret, nihil interesset.“ Simillimum est in or. pro Sulla 40. „nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas tam varias tam repentinas — mea sponte dispexerim.“ hoc est „me dispexisse credam.“ Eadem confusio — ut Madvigius ait ad fin. I, 14 — rei effectae et notionis iudiciique de re effecta est in cogendi verbo, quom de necessaria conclusione dicitur, ut in III de fin. 42. „eorum autem ratio certe cogit, ut in omnibus tormentis conservetur beata vita sapienti.“ alibi. Res effecta dicitur pro fide rei effectae quamquam eius significatio non desideratur in or. de provv. coss. 16, 39. „per quem ordinem ipse amplissimam gloriam sit consecutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad suspicandum nullo modo possum.“ Sed adnotandum est Ciceronem eam addidisse, cum istam confusionem iam admisisset ut hoc ipso rursus orationem avertisse videatur.

Quae Madvigius ad fin. II, 6 (p. 145) „hoc vero inquit, optimum, ut is, qui —, nesciat.“ particulae „ut“ pro infinitivo positae exempla posuit, ea non quidem ad breviloquentiam pertinent, quia oratio ea re non brevior redditur, at similis perspicua est duarum notionum confusio. Rectissime ibi vir ille clarissimus, postquam Wunderi de ea re sententiam (Jahnii ann. a. 1827. tom. II. fasc. 2. p. 151 ad 163) reiecit, haec dixit: „Nam quom multae sententiae obiectivae et subiectivae hanc haberent naturam, etiam propter primariae sententiae verbi genus, ut facili transitu earum formam subirent, in quibus effectus significatur, in iis propter hanc inclinationem „ut“ positum est, cuius particulae (ut fit in omnibus huiusmodi vocabulis) non iam certa aliqua prima significatio, sed generalis quaedam vis in sententiis vinciendis percipiebatur. Manifesta est haec ratio in iis verbis quae proprie ecfectum significant ut in hoc ipso „ecficio“, quom de conclusione ponitur „sequitur“ aliis. Sed quid horum similius quam hoc „concedo ut ita sit“, conflata sentiendi et permittendi notione? Atque huic cognatum est „adsentior“ etiam „teneo, retineo“ ut sentiendo ecficere quodam modo videamur ut aliquid alicuiusmodi sit. Perspicuum etiam illud, quod Cic. numquam dixit „probo ut ita sit“ sed ter saltem (hic II, 108 Tusc. III, 5, pro Flacco 33) „qui probari potest, ut.“ Iam in adiectivis eandem esse rationem, vel inde manifestum fit, quod Cic. numquam dixit, „verisimile est, ut.“, saepe „non verisimile est, ut“, id est fere „non fieri potest, ut.“ similiterque dicitur „integrum esse, ut“ alia. Atque hinc particulae „ut“ usus transfertur ad omnia illa quae per adiectiva sic enuntiantur, ut levis aliqua sit ecfectus consecutionisque significatio et a declaratione sive iudicio de subiecta sententia declinatio. Pro Flacco 65 quom Cic. sic dicit „Quid in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultumus esse dicatur?“ hoc significat „quid tam volgo fit?“ Si posuisset „quam dici“ significasset „quid tam notum et saepe dictum est?“ Atque hoc ad hunc quoque locum, a quo sum exorsus dicere, pertinet. Nam si sic dixisset Torquatus „eum — nescire.“ tantum, mirum id esse simpliciter indicasset; nunc simul dubitare se ostendit, fierine possit. De div. II, 5 („Magnificum et gloriosum, ut“) et de or. II, 178 („nihil est in dicendo maius quam ut faveat oratori is etc.“) Ciceronis animo obversabatur ecfectus notio (ecficere, ut).“ Quae vero Rhodius attribuit breviloquentiae exempla (plerumque ad tertium anacoluthorum genus spectantia), ea primum non breviter dicta sunt, deinde quae in iis cogitationum duarum apparet confusio, ea non tam usitata et volgaris fuisse videtur ut in figuris habenda sit. Quamquam id recte sensit ille et istam figuram et anacoluthiam ad eandem singularem animi sollertiam et quasi promptitudinem referendas esse.

Atque duae huius generis species sunt; altera cum duae similes sententiae aut eiusdem sententiae formae ita conflantur, ut scriptor alterius priori parti alterius adiungat posteriorem; altera cum sententia primaria cum sententia aliqua interiecta ita confunditur ut quae sequantur ad sententiam interiectam non ad primariam referantur.

I.

1. Prior species triplex est. Ac primum saepe, aperte duarum eiusdem sententiae formarum permuta-

tione, quae res initio pronomine significata est, ea in fine pluribus dicitur ipsa. Quae illius rei repetitio si solo nomine fit ad tertium genus pertinet, si toto enuntiato secundario ad secundum. Huc spectant de off. I, 104. „alter (sc. illiberalis iocus) ne homine quidem (sc. dignus est), si rerum turpitudo adhibetur aut verborum obscoenitas.“ De fin. I, 19. „ait enim declinare atomum sine caussa; quo nihil turpius physico, quam fieri quicquam sine caussa dicere.“ De or. I, 53. „Quis enim nescit maximam vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium — incitandis vel ab hisce — revocandis? quae nisi quae naturas hominum vimque omnem humanitatis etc. perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit.“ Sic „quod“ pronominis sententia ad rem antea expositam relati, paullo post accusativo cum infinitivo repetitur de off. II, 29. III, 112. De fin. II, 12. ibid. 67. III, 8. Or. 16, 52. ibid. 62, 210. De nat. Deor. II, 24. (de quo loco non satis recte disputare videtur Handius in annot. 225 ad Wopkensii lectt. Tull.) de legg. III, 21. Etiam plura eius rei exempla exstant in Wopkensii lectt. Tull. edd. ab Handio p. 76, p. 143, p. 162, p. 173. Sed adnotandum est plerisque iis locis quos proposui, pronominis sententiam non simpliciter repeti, sed generalius proferri quo magis id quod de ea praedicetur recte praedicari patefiat.

2. Deinde Cic. nonnumquam prioris orationis partis, propter interiectorum longitudinem oblitus, eam priusquam sententiam absolvit, aliis verbis repetit indeque reliquam sententiae partem nectit. Eius rei exemplum est in I, de or. 133. „nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes, neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, idque ex te quaerimus (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum in dicendo assecutus es) quoniam quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes.“ Primum adnotandum est, ipsam sententiae primariae repetitionem („idque quaerimus“) aperta oblivione tamquam sententiae interiectae partem proferri, deinde eo hoc anacoluthon lenius esse quod reliqua sententiae pars qua explicandi verbi obiectum contineri debebat, continetur quaerendi, ad utramque sententiam primariam quadrat. Ea ex parte durius est quod legitur in I. Tusc. 67 „ut cum videmus speciem primum, candoremque coeli deinde conversionis celeritatem tantam etc. — §. 70. Haec igitur et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis vel effector etc.“ Aperte Cic. dicturus erat „ut, cum videmus — dubitare non possumus; — sic etc.“ Non modo ea quae initio dixerat, repetit (cum cernimus) sed etiam quod primum comparationis membrum facere volebat, id comparatione neglecta per se ponitur („possumusne“).

Sic Cic. II. Tusc. 75 „ut si iam ipsa illa accusare nolis, stupra dico et corruptelas etc.; sed ut haec omittas, perturbatio ipsa mentis in amore foeda per se est.“ Protasin non admodum multis interiectis non modo sic repetit „sed ut haec omittas“ sed etiam se hoc tamquam effectum prolaturum fuisse oblitus, non ex priore protasi „ut si“ nectit, sed aeque ac posteriorem per se ponit. Explicatione non egent quae Cic. dixit, in II. Tusc. 17. „affirmat enim quodam loco, si uratur

sapiens si crucietur, exspectas fortasse dum dicat „patietur, perferet, non succumbet.“ Magna me hercule laus et eo ipso per quem iuravi Hercule digna. Sed Epicuro homini aspero et duro non est hoc satis. In Phalaridis tauro si erit dicet „Quam suave est hoc.“ III, 16. „Veri etiam simile illud est, qui sit temperans, quem Graeci σώφρονα appellant, eamque virtutem etc.“ §. 18. „qui sit frugi igitur, vel si mavis, moderatus et temperans, eum necesse est esse constantem.“ II. N. D. 95 „si essent qui sub terra semper habitavissent. — Nec tamen exissent umquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen et vim deorum, deinde — et illis abditis sedibus evadere — atque exire potuissent, cum repente terram et maria coelumque vidissent, — cum autem terras nox opacasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum; — haec cum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.“ III. de off. 97. „Utile videbatur Ulixi, ut quidam poetae tragici prodiderunt — nam apud Homerum optimum auctorem talis de Ulixe nulla suspicio est — sed insimulant eum tragoediae simulatione insaniae militiam subterfugere voluisse.“ Tusc. III, 36. „Pythagoras mihi si diceret aut Socrates aut Plato „Quid iaces? aut quid maeres? etc. — §. 37. „Ad haec bona me si revocas, Epicure, pareo, sequor, utor te ipso duce. — Sed traducis cogitationes meas ad voluptates. Quas? corporis credo etc.“ Quamquam in multis veteribus editionibus „sic“ reperitur pro „si“, tamen sine dubio „si“ archetypi erat (v. Otto Heinium de Tusc. dispp. diss. inaug. Halae). Recte is p. 28 „Ibi (nostro loco) enim (Cic.) protasin („Pythagoras mihi si diceret“) cui addere debebat „sequerer“ vel „probarem“, per duas paragraphos continuat, deinde prioris enuntiati prorsus, ut videtur, immemor, subito ad ipsum Epicurum orationem convertens „ad haec bona Ep. etc.“ Klotzius qui prioris sententiae apodosin suppressam putat, universum verborum circuitum non intellexit.“ Durius etiam Cic. in II. de fin. 72 apodosin rhetorica interrogatione praemisit („fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum etc.“) et post longam parenthesin initii prorsus oblitus protasi simplicis negationis forma iterum subicit (§. 73. „ — si voluptatis caussa Gallo apud Anienem depugnavit provocavit et ex ejus spoliis sibi et torquem et cognomen induit ullam aliam ob caussam nisi quod ei talia facta digna viro videbantur, fortem non puto“).

Singularis ratio est loci qui extat in I de off. 105. „Quin etiam si quis est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re sed nomine) sed si quis est paullo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam.“ Aperte Cic. illo „sed“ protasin repetiturus erat. Atque Pareus quem Zumptius secutus est paullo erectiorem esse idem esse atque paullo quam deceat hilariorem putabat. Quam sententiam Bonn. v. cl. recte sic reiecit ut diceret eam huius vocis significationem non fuisse. Iam vero si illud vocabulum tale quid sonuisset, inepte Cic. addidisset „quamvis voluptate capiatur.“ Recte igitur Bonn. haec verba sic explicat „wenn er sich nur etwas über die Niedrigkeit erhebt.“ Itaque Cic. protasin duas conditiones continentem sic repetiit ut quae posterior fuisset eam faceret priorem, quae prior posteriorem. Durissima eius rei exempla sunt, primum quod extat in II N. D.

94. „Isti autem, quemadmodum asseverant ex corpusculis non colore non qualitate aliqua — non sensu praeditis sed concurrentibus temere atque casu mundum esse perfectum vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios nasci alios interire. Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum cur templum etc. — non potest?“ Iterum (ut in I Tusc. 67 et 70. h. l. p. ~~71~~ 69) duplex est anacoluthon in uno exemplo. Namque non modo prioris comparationis membri sententia repetitur, sed etiam pro comparatione periodus conditionalis substituitur. Sequi debebat „sic istos eum atomorum concursum etiam porticum vel templum etc. efficere demonstrare posse necesse est, quod non possunt“ non ut Matthiaeus v. cl. opusc. p. 64 vult. „sic non video cur etc.“ deinde in II de or. 90 „tum accedat exercitatio, qua illum quem ante delegerit imitando effingat atque ita exprimat, non ut multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea quae facilia sunt, aut etiam illa quae insignia ac paene vitiosa, consectantur imitando.“ Sequi debebat „sed ut quae maxime excellant ea diligentissime persequatur.“ Sed nonnullis interiectis tota et huius enuntiati et superioris sententia sic repetitur §. 92 „Qui autem ita faciet ut oportet vigilet necesse est in deligendo, deinde quem probavit in eo quae excellent, ea diligentissime persequatur.“ Recte Heinius p. 28 Madvigium secutus est (emend. Tull. p. 44) in explicanda duplici illa prioris partis repetitione V Tusc. 73: „an Epicuro qui tantummodo induit personam philosophi — dicere licebit — nullum sapienti esse tempus, etsi uratur torqueatur secetur, quin possit exclamare „quam pro nihilo puto.“ — Huic ergo ut dixi non multum differentia iudicio ferarum, oblivisci licebit sui et

tum fortunam contemnere cum sit omne et bonum eius et malum in potestate fortunae. — §. 75 „Sed cum is dicat semper beatum esse sapientem, cui dicere hoc, si sibi constare vellet, non liceret, quidnam faciendum est his qui nihil expetendum — quod honestate careat existimant?“ Eadem ratio est loci qui extat in II de div. 94 de quo Mdvigius emend Tull. p. 38 praeclare „Cicero“, ait, „orsus erat dicere „quae tanta dementia est, ut — nihil intersit qui ventus — ubique sit;“ additurus erat: „illud intersit quod quis astro natus sit“ vel simile quid, sed pluribus ad prius illud adiectis, denuo idem repetiit „est ne sanorum hominum hoc non dicere; — illud — dicere?“ Illa autem quae parenthesi conclusa sunt, ostendunt Ciceronem non velle illud „vere“ pertinere, sed Chaldaeis consentaneum esse ut, si sibi constare vellent, illud etiam dicerent. — Recte autem Schuetzius pro „non certe“ edidit „certe non“. His disputatis apparet, nisi fallor, locum ita distinguendum esse. „Sed quae tanta dementia est, ut in maximis motibus mutationibusque coeli, nihil intersit, qui ventus qui imber quae tempestas ubique sit? (quarum rerum — mutationes maximas saepe sentiant) haec igitur cum sit tum serenitas tum perturbatio coeli, estne sanorum hominum hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere (quod certe non pertinet) illud nescio quid tenue etc.“

3.

Id denique interdum accidit Ciceroni ut tali duarum cogitationum confusione prioris orationis partis sententiam non repeteret sed alterius sententiae priori parti alterius adiungeret posteriorem. Ac lenissimum eiusmodi anacoluthon est cum posterior sententiae pars ne-

que desideratur, neque — si ipsam rem spectas — alia sententia permutata est, sed ex ea tantum parte quae modis verborum significatur, priori non respondet, id quod saepissime accidit in periodis conditionalibus. Sic quasi qnadam attractione fit ut cum protasis coniunctivo pronuntiata sit, apodosis etiam, quae indicativo efferri debebat, cictivo efferatur. Contra si cictivus poni debebat, quia protasi fictum aliquid contineri modo et tempore verbi significatum est, saepenumero indicativus ponitur. Qua de re v. Madvg. Gr. ling. lat. §. 348. Ne illud quidem durum est si in altero comparationis membro, tertium comparationis q. v. non retinetur sed alia consimili notione permutatur. Sic in I. de off. 1, 1. optimi codd. post „ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi —“ exhibent „idem tibi censeo faciendum“ pro „sic“ vel „item“, tamquam praecesserit „quod“. Ergo cum Cic. in priori membro comparationem instituisset modorum faciendi, in posteriore fecit obiectorum. Quod vero deteriorum codicum aliqui emendare ausi sunt (nam Vin et e. habent „id“ f et Goth. „identidem“) nullius momenti est. Magis etiam excusabitur propter ipsius prioris membri partium, alteram priori iam inaequalem quod legitur in I. de off. 16. „Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet.“ Idem fit pro Cluent. 71., 202.: „qui, ut quisque crudelissime oppugnatur, eum lenissime sublevatis.“ De or. I. 217. „Nam si quisque ut in aliqua arte et facultate excellens aliam quoque artem sibi assumserit, is perficiet ut etc.“ Equidem nescio cur Henrichsenius cum Lambino Ernestio

aliis, lectionem traditam ferri non posse putaverint. Nec tamen Rhodio (l. l. p. 36.) adsentimur qui et „is“ retinendum et „ita“ voculam omissam subaudiendam habet. Similiter pronomen relativum non accurate demonstrativo redditur in II. de fin. 32. „Quantum enim potero, minuam contentiones omnesque simplices sententias eorum, in quibus nulla est virtutis adiunctio, omnino a philophia semovendas putabo etc.“ ubi v. Madvigium. Pro Balbo 32. „quaedam foedera extant, ut Cenomanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in foederibus exceptum est etc.“ alibi. Fortasse etiam huc referendum est quod legitur in II. epp. ad fam. 2. „Epistolarum genera multa esse non ignoras; sed unum illud certissimum, cuius caussa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset.“ Quod Rhodius (l. l. p. 11.) „inventum“ participium ante „ut“ suppleri vult: eo haec fere sententia effici videtur: „quod ideo inventum est, ut — cuius caussa —.“ vel „quod eius caussa inventum est ut — faceremus, cuius caussa etc.“ Sic vero non modo durissime „inventum“ participium omissum esset, sed ne apte quidem potuit admitti. Itaque malim „ut certiores faceremus“ verba, quibus Cic. quae fuerit caussa cur ipsa res inventa esset, amplius declaret, tamquam appositione verbis „cuius caussa etc.“ adnexa accipere — ut sententia eadem efficiatur ac si Cic. dixerit „namque ea res (epistolas scribere) eo inventa est ut certiores faceremus, cui rei quae epistolae inserviunt eae primum illud genus constituunt“ — sententiam vero relativam („cuius caussa etc.“) ad „unum illud certissimum“ referre, quamquam illa ipsa res non

illius generis caussa inventa est, sed eius usus cui primum illud epistolarum genus inservit. Ceterum cum Cic. id sibi proposuisset ut tria esse epistolarum genera eorumque nullum sibi convenire exponeret, „est“ post „unum“ animo supplendum esse apparet Abrumpitur comparatio in I. de fin. 1, 1. „Quidam autem non tam id reprehendunt, si remissius agatur, sed tantum studium tamque multam operam in eo ponendam non arbitrantur.“ Sed adnotandum est alterius comparationis membri sententiam, quod esse debebat „quam nimis magnum studium“ vel tale quid, enuntiato conditionali isto interiecto iam praereptam esse. Quamobrem ne potuit quidem continuari comparatio. „Non tam“ non dictum esse pro eo quod est „non admodum“ Madvigius ad h. l. satis demonstravit. Is etiam haec contulit similiter dicta Brut. 58. „quae (suaviloquentia) nunc quidem non tam est in plerisque. Latrant enim iam quidam oratores, non locuntur.“ et de fin. I, 10. „nec cum istis tanto opere pugnare — et iis servire“ pro „quam iis servire.“ Similiter comparatio in altero membro praetermittitur in I. Tusc. 67 et 70. v. h. l. p. 111. Durius Cic. comparationis institutae obliviscitur in I. Tusc. 30 „Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus quod nulla gens tam fera etc. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est.“ Cum Cic. immortalitatem animorum consensione omnium probaturus esset, sic exorsus est tamquam orationem sic continuaturus esset „sic etiam cur animos immortales esse credamus idem hoc afferri videtur firmissimum etc.“ Sed nonnihil digressus pro altero membro generalem sententiam sub-

stituit („omni autem in re —“) eique immortalitatem animorum subiciens sententiam absolvit.

Prorsus desideratur relativa sententia in I de fin. 55 „Nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est in voluptate aut in dolore, sed in iis rebus peccant, quom e quibus haec efficiantur ignorant.“ Quod quamquam negandum est Ciceronem consilio ac voluntate admisisse tamen inde natum esse verisimile est quod Cic. non tantum quibus in rebus peccaretur, sed statim quemadmodum istis in rebus peccaretur (ignorando eas) accuratius definire voluit. Apodosis desideratur in I de or. 246. „Nam quod inertiam accusas adolescentium qui istam artem, primum facillimam, non ediscant; quae quam sit facilis illi viderint qui —; deinde quod sit plena delectationis, in qua tibi remittunt omnes istam voluptatem et ea se carere patiuntur; nec quisquam est eorum qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid non Teucrum Pacuvii malit quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere.“ Recte Matthiaeus ad h. l. in Seebodii Miscell. Crit. I, p. 678. „Dicere voluit Cic. „nam quod inertiam accusas adolescentium, primum quod facillima sit, deinde quod sit plena delectationis, iniuste facis: nam primum quam sit facilis etc.“ Sed suo iure, opinor, Henrichsenius ad h. l.: „Fatendum est tamen admodum durum esse huiusmodi anacoluthon, ubi apodosis non omittitur sed bis per relativam sententiam exprimitur; neque sine caussa Ern. hunc locum non ubique sanum esse suspicatus est.“ II N. D. 47. „Sed sint ista (conum et cylindrum et pyramidem) pulchriora (quam sphaeram) duntaxat in aspectu, quod mihi tamen ipsum non videtur. Quid enim pulchrius ea figura quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeque

nihil asperitatis — habere potest — nihil lacunosum? Cumque duae formae praestante. sint, ex solidis globus (—) ex planis autem circulus aut orbis —, his duabus formis contingit solis ut omnes earum partes sint inter se simillimae —; quo nihil fieri potest aptius." Sequi debebat (post parenthesin) „nihil tamen globo aptius excogitari potest." vel tale quid, sed pergit Cic. tamquam nihil globo perfectius esse docturus fuisset et cum de altera eius praestantiae parte (pulchritudine) satis disputasset, iam ad alteram, globo nihil aptius esse transeundum esset. Phil. I, 17. „An si cui quid ille promisit id erit fixum, quod idem facere non potuit?" Iam quae apodoseos sententia esse debebat „leges eius ratae non erunt?" pluribus interpositis per se ponitur § 18. „Ecquid est quod tam proprie dici possit actum eius qui —, quam lex? etc." v. Madvigium Emendd. Tull. p. 45. qui praeclare de toto hoc dicendi genere disputavit l. l. p. 24 ad 51.

Ferri non posse Tusc. IV, 13. „quoniamque ut bona natura appetimus sic a malis natura declinamus: quae declinatio si cum ratione fiet, cautio appelletur, eaque intellegatur in solo esse sapiente: quae autem sine ratione —, nominetur metus." et illud „si" librarii esse recte censuit O. Heinius (l. l. p. 32). Atque quemadmodum illud „si" irrepserit, luculentissime docemur Kuehneri sententia Ciceronem „quae declinatio" pro „ea declinatio quae" dicere non potuisse putantis. Non in anacoluthis habendum est cum interrogatio rhetorica qua aliquid non esse significatur per „ut" consecutivum q. v. cum superioribus coniungitur, ita ut ipsa sententia negativa, quae in ista interrogatione subsit, tamquam effectus denotetur. Qua de re v. Naegelsbachii

librum qui inscribitur Lat. Stilistik p. 319. Sic saepissime — ut Madvigius ait ad II de fin. 61 p. 250 — interrogatio ab „ut" incipit cum de consilio rei interrogatur aut simpliciter aut sic ut aut sine consilio factum aliquid reprehendatur, aut cum consilium probabile nullum fuerit, factum negetur. Sed quod Livii locum affert qui extat in XLIV, 39. „Sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo nos victores reciperemus?": nescio an ibi magis de effectu quam de consilio interrogetur ut sententia haec sit „ita ut non fuisset quo etc." Recte Heinius l. l. p. 30 sic explicuit Tusc. I, 50. „Quasi vero intellegant qualis sit (animus) in ipso corpore, quae conformatio quae magnitudo, qui locus, ut, si iam possent in homine uno cerni omnia quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus an tanta sit eius tenuitas ut fugiat aciem?" et ibid. V, 76. „ut ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim?" Ubi qui factum sit ut Wyttenbachius „at" scribi vellet non intellego. Neque est cur Orellio „ut" interpolatum esse censenti credamus. Sed singularis ratio est loci supra commemorati Tusc. I, 50. Ibi enim interrogatione ab „ut" incipiente effectus designatur sententiae quae ipsa est negativa (quasi vero intellegant —"). Sententia igitur haec est: „Falso istis animorum aeternitas propterea incredibilis videtur, quod qualis animus vacans corpore sit intellegere non possunt. Nam ne in ipso quidem corpore qualis sit intellegi potest ita, ut etiamsi possent cerni —, non tamen animus in conspectum caderet itaque tantam potius eius tenuitatem esse existimandum sit ut aciem fugiat." Prorsus alia ratio est loci qui extat in I de fin. 19. „Deinde ibi-

dem homo acutus, quom illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur et, ut dixi, ad lineam, numquam fore ut atomus altera alteram posset attingere; itaque attulit rem commenticiam: declinare dixit atomum perpaullum.“ Atque „itaque“ nec poni solere in oratione paullo liberius evagata revocanda (contra Matthiaeum opusc. p. 5. aliosque) neque esse hic talem periodi inflexionem ut in viamrevocanda fuerit, neque ullam hic „itaque“ addendi excogitari posse caussam Madvigius ad h. l. extra ullam dubitationem posuit. Quod vero addit fortasse verbum aliquod excidisse, cuius subiectum esset „acutus homo“: id sane fieri potuisse negari nequit. Sed nescio an Cic. hic idem admiserit, quod nos in loquendo saepissime, nec nos soli sed haud dubie omnes omnium temporum homines, — praesertim cum saepius in his libris cum festinatione consriptis liberiore dicendi genere utatur quam quo deceat scriptorem. Nam sicut nos, cum perpravum consilium, quo quis aliquid commiserit, perspexisse nobis videmur et enarraturi sumus, quae res fuerit unde consilium tale natum sit protasi exponimus, ipsum deinde consilium quod apodosi contineri debuit, reticemus sola particula qua apodosin introducere solemus, quae est „da“ admissa, voltu gestuque fortasse quae sentiamus significantes, ipsam rem denique quam commisit ille conclusionis particula adiungimus — qua reticentia quippe qua fiat ut ii quibuscum loquimur ipsi in eam suspicionem incidant quam nos movere voluimus, id quod volumus saepe fortius meliusque adsequimur quam si omnia verbis describamus; sic nostro loco Cic. Epicuri consilium se aliqua re acute ficta et commenticia expediendi reticere videtur. Nam Ciceronem hoc loco

acriter acerbeque in Epicurum invehi eumque vidisse errorem suum sed quia ipse sibi nimis placuisset, ne sententiam se mutare atque retractare necesse esset, *consilio ac voluntate* falsa acute commentum esse dicere tam planum est quam quod maxime. Hoc igitur — si est anacoluthon — certe rhetoricum est. Denique locum inspiciamus his omnibus contrarium. Nam quod in IV de fin. 3 legitur „quorum fuit haec institutio, in qua animadvertas velim, quid mutandum putes, nec expectes dum ad omnia dicam, quae a te dicta sunt; universa enim illorum ratione cum tota vestra confligendum puto. Qui quom viderent etc.“ id non ad sententiae partes primariam et secundariam non recte inter se respondentes spectat, sed ad tota enuntiata alterum alteri non recte adiuncta. Verum quia quartum eorum anacoluthorum genus facere noluimus, ut antea eiusmodi anacolutha idoneo loco, ut nobis videbamur, inseruimus, sic hoc exemplum hic inserendum esse propterea putabamus, quod — si meram sententiam respicis — eadem ratio inter haec duo enuntiata intercedere videtur atque inter unius enuntiati partem primariam et secundariam. Atque cum Cic. dixisset „quorum fuit haec institutio“ pergere debebat „Quom viderent“, nonnihil tamen digressus longius remoti illius „quorum f. h. inst.“ obliviscitur et ipsam illus institutionis expositionem ex proxime superioribus nectit.

II.

Altera eius generis species est cum non duae quae fere uno tempore in animo scriptoris versantur, de eadem re cogitationes confunduntur, sed sententia primaria cum sententia aliqua interiecta sic conflatur, ut

tamquam haec primaria sit, ad eam secundaria referatur. Sic in II. Verr. II, 158 post „de quo homine hoc auditum est umquam, quod tibi accidit“ pergit Cic. „ut eius in provincia statuae — per vim — deicerentur?“ tamquam praecessisset „cui homini hoc accidit umquam?“ III. Catil. 21. post „Illud vero nonne ita praesens est, ut nutu Jovis Opt. Max. factum esse videatur“ ponitur „ut, cum — eo ipso tempore signum statueretur.“ tamquam praecessisset „Nonne nutu Jovis — factum esse videtur?“ In I. Tusc. 88 dicit Cic. „Hoc premendum etiam atque etiam est argumentum, confirmato illo, de quo si mortales animi sunt, dubitare non possumus quin tantus interitus in morte sit ut etc.“, ut hoc ei obversatum esse videatur „confirmato eo, dubitari non posse quin etc.“ In II. N. D. 23. „Sed quoniam coepi secus agere, atque initio dixeram, negaram enim hanc primam partem egere oratione, quod esset omnibus perspicuum deos esse.“ Cic. apodosin a „tamen“ incipit („tamen id ipsum rationibus physicis confirmare volo“) quasi praemisisset „sed quamquam negavi.“ — Hic igitur sententia intermedia prorsus primariae locum occupasse videtur. Poterat Cic. pro „negaram“ dicere „quamquam negavi“ ita ut haec esset apodoseos prior pars. In verborum temporibus idem accidisse putandum est in II. N. D. 118 „Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut — ignesceret etc.“ His contrarium esse videtur quod legitur in I. Tusc. 73. „nec vero de hoc quisquam dubitare posset nisi idem nobis accideret; diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit qui cum acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent etc.“ Hic enim quod ipsius sententiae secundariae (relativam dico „qui cum etc.“) erat membrum necessarium, id sententiae primariae („quod iis usu venit“) appositione adnectitur. Quod Heinius l. l. p. 32. aut „cum“ aut „ut“ extrudi aut „ita occaecati sunt ut“ vel tale quid inseri iubet: primum quemadmodum „ut“ extrudi possit quin durissimam et quae nullo exemplo confirmari possit, accipere necesse sit et temporis et modi attractionem, equidem nescio. Facilius fortasse „cum“ voce careri possit. Denique si illo „ita occaecati sunt ut“ ingerimus id obtrudimus Ciceroni quod ne admitteret, ipsum hoc anacoluthon, non quidem consilio et voluntate sed sensu quodam ductus et fere invitus admisit. (Quod idem de „ut“ exulando valet) Nam etsi intellegi posset Ciceronem si ita scripsisset sensisse iis qui — intuiti essent, id saepe accidisse ut — amisissent, tamen — si logicam spectas — adhuc expectari poterat dum diceretur quid esset id quod iis saepe usu venisset, qui cum — intuiti essent, ita occaecati essent ut etc. Praeterea ne dignitas ac pondus istius sententiae minueretur, noluit Cic. id quod caput rei esset, sententiae secundariae apodosi contineri. Itaque maluit avertere orationem quam aut parum commode sic ut coepta erat ad finem perducere aut litura uti et commodiorem formam temtare. Immerito igitur Heinius Wolfianam sententiam, vacilasse Ciceronem inter duas constructiones, abiecisse videtur. Sed veri simile est eum haec si iterum legisset emendaturum fuisse. Simile est durissimum illud in II N. D. 125 „Ranae autem marinae dicuntur obruere sese arena solere et moveri prope aquam, ad quas quasi ad escam pisces cum accesserint, confici a ranis atque consumi.“ Aperte enim enuntiati relativo adiuncti („ad quas —

cum accesserint") apodosis („confici a ranis") protasi non convenit, sed — si solam formam respicis — tamquam superioris enuntiationis praedicatum ad „dicuntur" refertur. Quod eo durius est quod ipsa sententia prorsus pervertitur. Hoc anacoluthon non arti imputandum esse vel Rhodius concesserit. Rectissime se habet quod saepius in anacoluthis enumeratur, epp. ad fam. V, 2. „Addam et illud etiam, quod iam ego curare non debui, sed tamen fieri non moleste tuli atque etiam ut ita fieret pro mea parte adiuvi, ut senatus consulto meus inimicus — sublevaretur" si modo „quod" non pro pronomine relativo, sed pro coniunctione accipias et „ut — sublevaretur" a „fieri" pendere tibi persuadeas ut id dicendi genus in hoc loco agnoscendum sit quod Madvigius Emend. Tull. p. 25 sic definit „Est enim veterum linguarum proprium, duas sententias ita inter se coniunctas ut altera primaria sit altera ad illam illustrandam vel confirmandam vel observatione aliqua accuratius definiendam adiecta, cum vis orationis insit in primaria illa sententia aut eius cum altera nexu, tamen ita efferre ut simpliciter connectantur, illa autem ratio nulla particula (sive illa „cum" sive „si" sive „quamquam" esse debere videatur) insigniatur, sed ex proprio quodam habitu orationis perspiciatur."

2.

Nonnumquam etiam ipsa enuntiatio primaria a sententia aliqua post primum verbum interiecta, suspensa est, ut — si solam grammaticam orationis formam respicis — praeter sententiam interpositam nihil nisi enuntiatio secundaria adsit, primaria nulla. Exempla haec habes: de or. III, 3. „Hic ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi quamquam hoc Crasso cum

aliquid accuratius dixisset semper fere contigisset, ut numquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, ceteros a Crasso semper omnes illo autem die etiam ipsum a sese superatum." de off. I, 22. „Sed quoniam ut praeclare scriptum est a Platone non nobis soli nati sumus; — atque, ut placet Stoicis, quae in terris gignuntur ad usum hominum omnia creari homines autem, hominum caussa esse generatos etc." de rep. I, 37, 58. „Si, ut Graeci dicunt, omnes aut Graios esse aut barbaros etc." Ferri non posse videtur quod legitur in Brut. 31, 121. „Iovem sic ut aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui" ut rectissime Otto Iahnius „ut" extrudendo locum emendasse putandus sit. Nam quoniam „Iovem" praegreditur de ista duarum cogitationum confusione cogitari nequit. Sed adnotandum est hoc argumentum, quod ut philosophorum sermone utar, ex psychologia repetitur, propterea tantum valere quia haec quaestio sit de singulari aliqua licentia, quippe cuius aliud exemplum apud Latinos extet nullum. Enimvero apud Graecos hoc idem dicendi genus saepius admissum est v. Heindorf ad N. D. II, 94 et ad Plat. Soph. §. 105. Quae species cum tota in attractione versetur, occasione oblata id tantum addam non omnem attractionem esse anacoluthiam. Namque ea attractionis genera quae tam usitata erant ut prorsus legitimae constructionis locum obtinuisse videantur (velut quod „non quo" dicebatur pro „non eo quod", alia) magis in idiomatis quam in anacoluthis habenda sunt.

C.

Jam ad tertium genus transeundum est, quod ea anacolutha continet quae in simplicis enuntiati partibus

fiunt. Atque idoneum a legitima oratione ad haec anacolutha transitum praebent aliqua exempla quae ita comparata sunt ut, quamquam in ipsa verborum constructione offendi non possit, duae tamen enuntiati partes inepte coniungantur. Sic Cic. in II Tusc. 43 „Quod ergo“ et postulatur a fortibus et laudatur cum fit, id aut extimescere veniens aut non ferre praesens nonne turpe est?“ Sed extimescitur dolor non doloris patientia. I. de off. 10. „ita quam ille triplicem putavit esse rationem in quinque partes distribui debere reperitur.“ Ratio vero in partes distribui nequit. Neque id recte se habet quod Cic. ibid. 18 dicit „omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem.“ Hae enim duae cogitationes „trahimur et ducimur ad cognitionem et scientiam“ et „trahimur et ducimur cognitionis et scientiae cupiditate“ in unam conflatae sunt.

I. 1.

Jam ad ea exempla quae ipsam orationis formam ἀνακόλουθον habeant, transeamus. Quorum anacoluthorum eadem est divisio atque prioris generis. Prioris igitur speciei prima forma eā duarum cogitationum confusione continetur qua fit ut simplicis enuntiati aliqua pars initio posita in fine iterum ponatur, sic, ut—si solam grammaticam formam respicis—non sit quo referatur.

Atque huc trahi non licet si qua res initio appellata post relativam sententiam iterum significatur pronomine demonstrativo. Enimvero quoniam ipse scriptor eo pronomine nos ad superiora revocat, de eorum oblivione cogitari nequit. Jam si quis dixerit in his exemplis initio institutam constructionem cum ea confundi qua aliqua res non propio suo nomine appelletur sed relativo tantum enuntiato quod pronomen demonstrativum vel

„is“ vel „ille“ excipiat significetur: id etsi fieri potuisse negari nequit, unde tamen probabitur scriptorem non potius perspicuitatis caussa vel cum explicandi studio quasi arderet, ut rem gravissimam magis mentibus infigeret, eam, nonnullis interpositis pronomine repetiisse? Recte igitur Rhodius dicit Mathiaeum falso haec exempla in anacoluthis enumerasse: Phil. II, 42, 109 extr. „Signa tabulas quas populo Caesar uno cum hortis legavit, eas hic—deportavit etc.“ Tusc. III, 71. „Itaque Oileus ille apud Sophoclem qui Telamonem antea de Aiacis morte consolatus esset, is, cum audisset de sua fractus est.“ N. D. I, 61. „Itaque ego ipse pontifex qui caeremonias religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc quod primum est esse deos persuaderi mihi—velim.“ ibid II, 151. „Basis autem trianguli, quem grues efficiunt (recte enim Heindorfius ex optimo cod. Glogav. „quem“ revocavit pro vulgari „quam“) ea tamquam a puppi ventis adiuvatur.“ Verr. III. 134 „tu Apronium, hominem vix liberum—qui—potuisset, dum in tanto tuo dedecore non profecto, ne verbo quidem graviore appellasses etc.“ ibid IV, 30, 67.“ Rex Antiochus qui—fuisset, is—exturbatus est.“ Phil. II, 101. „Agrum Campanum qui—, hunc tu compransoribus tuis et collusoribus dividebas.“ de opt. gen. dic. 6, 17. „Quin ipsum Isocratem, quem—dixerunt, tamen hunc in numero non repono.“ Sic nulla esse potest oblivio in eo quod in II de off. 16 („qui collectis ceteris caussis, eluvionis, pestilentiae etc., quarum impetu docet quaedam hominum genera esse consumta, *deinde* comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu etc.“) quae in abl. absoluto („collectis caussis“)

inest temporis notio, ea paullo post „deinde“ vocula repetitur.

Rectius fortasse, quamquam hic quoque dubitari licet, oblivioni attribuuntur, si, cum aliqua res pronomine demonstrativo quod relativa enuntiatio excipit, designatur, „hic“ vel aliud eius generis pronomen post relativam sententiam denuo infertur ut in I de inv. 31, 59 „ut etiam illud, quod dubium videbatur, si quis separatim quaereret, id pro certo propter rationem rogandi, concederetur.“ I de or. 109. „Sin autem ea quae observata sunt in usu ac ratione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt etc.“ ibid. II, 125 „sed haec ipsa quae nunc ad me delegare vis *ea* semper in te eximia et praestantia fuerunt.“ pro Cluent. 6, 17 „si hoc, quod in communibus hominum sensibus atque in ipsa natura positum atque infixum est, id ego—non viderem.

Apertissima vero est oblivio si qua res aut, quia nota erat pronomine designata, postea proprio suo nomine repetitur, aut et initio et in fine enuntiati similibus nominibus significatur. Exempla haec sunt: de or. I. 91. „*in quibus* etiam (sive ille irridens sive quod ita putaret atque ita audisset) me *in illo numero* qui illa non didicissem et tamen — possem aliquid in dicendo, proferebat.“ Ubi recte Matthiaeus Schützium temere „in illo numero“ voces delevisse dicit. Ibid. I. 17, 75. „Haec cum ego praetor Rhodum venissem et cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio, ea quae a Panaetio acceperam, contulissem irrisit ille quidem — philosophiam etc.“ Tusc. V. 116. „Omnesque id nos in iis linguis quas non intellegimus, quae sunt

innumerabiles surdi profecto sumus etc.“ Falso Heinius l. l. p. 27. cum concessisset pronomen neutri generis interdum pro eiusdem aut alius generis adiectivo poni (ut in III. legg. 16. V. fin 92. alibi) dixit non potuisse Ciceronem dicere „id nos surdi sumus“. Isto enim modo omnia haec anacolutha ferri non posse efficitur. Recte vero Madvigius offendit in III. de fin 41. „His igitur ita positis, inquit“ sequitur magna contentio, quam tractatam a Peripateticis mollius, (est enim —) Carneades tuus egregia quadam exercitatione in dialecticis summaque eloquentia *rem* in summum discrimen adduxit etc.“ Quamquam enim interpositorum brevitati non tantum tribuerim, illud optime dixit ipsum ordinem verborum („Carneades tuus“ subiecto initio posito) minime aptum videri orationi post parenthesin in aliam formam transeunti sed periodo recte decurrenti. Itaque cum Guieti coniectura „qua tractata“ propterea non posset probari quod veteres scriptores huius maxime aetatis illo ablativo in contrariis coniungendis et mutatione significanda non usi essent, unam esse mendi tollendi viam, ut „rem“ deleretur.

De off. I. 1., 2. „Sed tamen nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam — volumus, de rebus ipsis utere tuo iudicio —, orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem.“ Tusc. I. 70. „Sic mentem hominis quamvis eam non videas, ut deum non vides tamen ut deum agnoscis ex operibus eius, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis, vim divinam mentis agnoscito.“ Dicturus erat Cic.: „sic mentem agnoscito“. Sed interiectorum longitudine factum est ut obiectum repeteret. Quod vero dixit „vim divi-

nam mentis" sententiae mutatio esse non videtur quia sententiarum nexus is erat, ut quivis, etsi obiectum non sic repetitum esset, hic de vi divina mentis agi intellegeret. Durius in I Tusc: 56 „animum ipsum si nihil esset in eo nisi id ut per eum viveremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari quam vitis quam arboris." cum aliqua sententiae mutatione aliud subiectum („hominis vitam") prioris („animum") loco ponitur. Sententia haec est. Cum. Cic. superioribus animum sua vi moveri dixisset ad aliud argumentum quod ex actionibus animi recordando discendo repetitur transit. Atque ut ad has divinas animi proprietates quasi ascendat gradationem quandam instituit, sic ut primum dicat de rebus quas cum cerni possit quemadmodum factae atque unde concretae sint etiam interire necesse sit; deinde de iis rebus quae quamquam earum figuram et unde concretae sint dicere non possimus, tamen cum nihil efficiant nisi ut aliqua res per eas vivat, aeternae dici non possint, de animis — si qui sunt — plantarum et bestiarum.

Jam quibus rebus humanus animus illis praestet, (memoria inventione etc.) exponit. Quo sententiarum nexu apparet nostri enuntiati sententiam circumloquendo sic declarari posse: „animum ipsum quamquam unde concretus sit dicere non possum, tamen si nihil esset in eo nisi ut per eum viveremus aeternum non dicerem. Sed maiora in eo sunt etc." Ergo planum est Ciceronem pro „animum non aeternum esse" dixisse „tam natura hominis vitam sustentari quam vitis etc." eoque ideo delapsum esse quod cum animum finxisset in quo nihil inesset nisi ut per eum aliqua res viveret, ad eam rem adumbrandam istis plantarum exemplis opus

esse sensisset nec tamen de „animo" earum dicere voluisset. Itaque non probo Heinii (l. l. p. 26) sententiam, eam notionem (animum) quae urgeretur accusativo praemissam esse et cum post parenthesin verbi structura alium casum expeteret, per pronomen („in eo") repetitam esse. Durissimum est quod in III de lgg. 2, 5 „*qui* ut illi coelestibus sic hi adversentur magistratibus." et pro Rab. P. R. 10. „quod, utinam Quirites ego id aut primus aut solus — sustulissem." pro pronomine relativo, nulla sententia interposita sed post aliqua verba quae necessariae sunt sententiae partes, demonstrativum substituitur.

2.

Altera huius speciei forma est, cum aliqua enuntiati pars pendet quia, nonnullis interpositis tota sententia alia forma repetitur. Lenissimum est quod Cic. „ut" particulam post sententiam intermediam repetiit in or. pro Planc. 36, 92. „Res vero ipsa publica si loqui posset ageret mecum, ut quoniam sibi servissem semper, numquam mihi, fructus autem ex sese non — tulissem, ut iam mihi servirem." Sed quamquam ea potest oblivio esse, tamen, quod ita secundum naturam est ut omnes omnium linguarum homines admittere soleant, id Ciceroni non licuit praesertim cum nullo structurae damno fieret? Sed vere ἀνακόλουθος est oratio in Brut. 37, 140. Verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone." Post plures sententias interpositas pergit Cic. „sed tamen Antonius in verbis et eligendis — et collocandis et comprehensione devinciendis nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat."

In II de fin. 29 verba. „Hoc vero non videre maximo argumento esse voluptatem illam, qua sublata neget se

intellegere omnino quid sit bonum (—)" sequi debebat „ne expetendam quidem esse." Sed quo Cic. tamquam admirandi obiectum (admiratio enim infinitivo significatur) elaturus erat, id per se posuit „hoc igitur quôd solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non vidit ne expetendum quidem esse etc." II de fin. 107. „haec leviora ponam; poema orationem quom aut scribis aut legis, quom omnium factorum quom regionum conquiris historiam, signum tabula locus amoenus, ludi venatio villa Luculli (—) sed ea quae dixi ad corpusne refers?" pendent nominativi „signum etc." v. Madvigium ad h. l. Matthiaeo adversantem. IV de fin. 11. „ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia, sed tamen omnes quae rem ullam virtutis expertem aut in bonis aut in malis numerent, eas non modo nihil adiuvare arbitror etc." Quam sententiam Cic. per se positurus erat, eam postquam subiectum nominativo pronuntiavit, nonnullis interpositis, ex verbo sentiendi suspendit et subiectum accusative repetit. Tusc. II, 1, 3 Cic. dicit „etenim si orationes quas nos multitudinis iûdicio probari volebamus (popularis est enim illa facultas et effectus eloquentiae est audientium approbatio) sed si reperiebantur nonnulli qui nihil laudarent nisi quod se imitari posse confiderent, quemque sperandi sibi eundem et bene dicendi finem proponerent etc." Aperte dicturus erat: „etenim si orationes meae nonnullis displicebant." Non recte Heinius l. l. p. 25. „in his igitur verba „si orationes" post parenthesin non modo casu cum reliquis discrepant sed ita negleguntur ut prorsus nova ea ne tangens quidem sententia incipiatur." Sed quae Cic. dicturus erat ea generalius profert ut liberius quae fuerit sibi adversandi caussa denotare possit. Tusc. II, 16.

„Ergo id quod natura ipsa et quaedam generosa virtus statim respuit, ne dolorem summum malum diceres oppositoque dedecore sententia depellerere, in eo magistra vitae philosophia tot saecula permanet." ibid. I, 14. „omne enuntiatum (sic enim mihi in praesentia occurit ut appellarem ἀξίωμα, utar post alio, si invenero melius) id ergo est pronuntiatum quod est verum aut falsum." ibid. V, 82 „Melius equidem afferre nihil possum, sed a te impetrarim libenter ut, nisi molestum sit quoniam te nulla vincula impediunt ullius certae disciplinae, libasque ex omnibus quodcumque te maxime specie veritatis movet, — quod paullo ante Peripateticos veteremque Academiam hortari videbare, ut sine retractatione libere dicere auderent, sapientes esse semper beatissimos — id velim audire quemadmodum his putes consentaneum esse id dicere." Immerito Heinius Matthiaei sententia Ciceronem dicturum fuisse „ut demonstres" tum vero totam sententiam verbis „id velim audire" repetiisse praetermissa ad Ernestium et Davisium confugit „ut" ante „nisi molestum" nonnullorum codd. auctoritate delentes. Rectissime vero Matthiaeus contra eos (opusc. p. 68) „at unde librarios id („ut") assumsisse dixeris? delevisse illos quod ad nullum verbum referre possent, nihil mirum. Tum verba „impetrarim libenter" usque ad „beatissimos" parenthesi inclusit Ern., ut verba „a te id velim audire" cohaererent; quam orationis formam vix quisquam pro Ciceroniana agnoverit." Singularis ratio est loci qui extat in II. Tusc. 57 „militiam vero (nostram dico, non Spartiatarum quorum procedit acies ad tibiam nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus adhortatio) nostri exercitus primum unde nomen habeant vides; deinde qui labor quantus agminis etc." Cum Cic. con-

suetudinem laborum perpessionem doloris reddere faciliorem eo confirmasset quod ii qui Graeciae formam rerum publicarum dedissent, eadem sententia ducti corpora iuvenum firmari labore voluissent idque Spartiatae etiam in feminas transtulissent, quid potius Ciceronem ne sui dissimilis esset dicturum esse expectari poterat quam Romanos in ea re etiam maiores esse? Haud dubie igitur de ingentibus militiae apud Romanos laboribus dicturus erat. Jam igitur apparet falli Heinium l. l. p. 25. contra Wolfii emendationem („militiam vero (—) nostri exercitus primum unde nomen habeat, vides deinde etc.") proferentem hic non militiae sed exercitus vocis originationem spectari. Vir enim celeberrimus haud dubie intellexit Ciceronem dicturum fuisse quantus labor militiae (vel exercitus) esset apud Romanos, ista vero de origine exercitus vocis subito intervenisse. Itaque verisimile est Ciceronem ne ea quae dicturus esset omitteret, sententiam interiectam cum primaria tamquam aequales partes enumeratione coniunxisse. Sed Cic. non ipsas res tamquam aequales enumerat, sed sententias quas dicturus sit. Quae res circumloquendo sic declarari possit „primum hoc dicam — deinde vero, ut ad propositum revertar — animadvertas velim" vel „vide" vel „hoc dicere volui etc." — (quod quasi anacoluthon nobis etiam usitatissimum est) — quamquam minime dixerim „deinde" esse revocantis sese et ad propositum redeuntis. Cuius enumerationis quae alia possit esse interpretatio equidem nescio. Neque illud multum valere videtur quod Orellius (cui Heinius adsentitur) et „nostri" voce careri vix posse et „vides deinde" languere videri dixit. Sed illud fortasse gravius est primum quod „nosti exercitus primum"

aliud membrum quod ex „nosti" pendeat postulare videtur, deinde quod ne sic quidem anacoluthon tolli videtur. Quamquam in eo quod Wolfius anacoluthon non sustulit, si tolerabile effecisset non offenderem. Enimvero qua cogitationum confusione fieri potuerit ut Cic. acc. „militiam" praemitteret eique post parenthesin aut Wolfiana illa, aut quae libri mspti tradunt adiungeret nescio. Id vero Wolfius rectissime fecit quod pluralem numerum „habeant" sustulit. Iam si sententiam spectas, num quid aptius excogitari potest quam „militiae vero — qui labor"? Sic igitur Ciceronem dicturum fuisse eamque lenissimam J. F. Gronovii coniecturam recipiendam esse censeo. „Nostri exercitus" autem pro genitivo accipiendum est, ut Cic. post parenthesin („nostram dico —") facili notionum confusione superiora repetat, tamquam „nostri exercitus qui labor?" dicturus. Cum igitur „exercitus" vocem admisisset, tum subito ista de eius origine intervenerunt, ut potius sic scribendum sit „militiae vero (—) nostri exercitus — primum unde nomen habeat vides — deinde qui labor etc.?" Quod vero „is" vocem desideramus, durum sane est, sed, ni fallor, ferri potest. Duplex igitur hoc loco anacoluthon agnoscimus. Alterum est in repetitione, alterum in eo quod posterior enuntiati pars, propter sententiam interiectam vocula aliqua quae priori parti minime conveniat („nostri exerc. deinde qui labor!") introducitur. Sed hoc alterum anacoluthon ad tertiam huius speciei formam pertinet. Memorabilis repetitio est in I. de off. 153. „Placet igitur aptiora esse naturae ea officia quae ex communitate quam ea quae ex cognitione ducantur; idque hoc argumento confirmari potest quod si contigerit ea

vita sapienti ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret, et contempletur: tamen si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita." Aperte Cic. dicturus erat: „quod si — ut in omnium rer. affl. cop. tanta solitudo sit ut hominem videre non possit, — quamvis — tamen excedat e vita." Sed quod ista „quamvis etc.", enuntiato nondum absoluto, statim post „copiis" interposuit, prohibuit quominus periodus rite decurrere posset. Sed hoc huius anacoluthi proprium est quod quae enuntiati secundarii per „ut" introducti desideratur pars, praedicatum dico, ea post sententiam interpositam („quamvis etc.") primariae formā profertur, conditionis. Nam „(si sol. t. sit) si contigerit ea vita" etsi ipsa sententia secundaria est, tamen ad sequentia („ut etc.") quae inde pendeant vel pendere deberent est primaria. Itaque haec repetitio non est sententiae sed formae.

3.

Jam ad ultimae formae exempla accedamus. Ac primum non admodum raro Cic. in fine enuntiati aliud verbum posuit atque nominis initio positi casus postulabat. Sic I. de off. 115 accusativi „nam regna — divitias opes" sequi iubebant „tempora gubernant" sed facillima duarum eiusdem sententiae formarum confusione factum est ut Cic. nominativos posuisse sibi visus adderet „temporibus gubernantur." Quae sit in quoque horum anacoluthorum sententiarum vel notionum confusio explicare supersedere possum. Epp. Att. XV, 3, 2. „nam illa, quae recordaris Lentulo et Marcello coss. acta in aede Apollinis: nec caussa eadem est nec simile tempus etc." de or. I, 86 „quaerebat cur de pro-

oemiis et de epilogis — referti essent eorum libri etc." off. I, 135 „neque enim omnes de iisdem rebus, nec omni tempore nec similiter delectamur." Tusc. IV, 82. „tamen in ceteros, cum sint in aliqua perturbatione aut metus aut latitiae — commotos modo et perturbatos dicere solemus etc." off. I, 23. „Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos qui studiose exquirunt unde verba sint ducta; credamusque quia fiat quod dictum est, appellatam fidem." Dicturus erat Cic. „Ex quo, quia fit, quod dictum est, appellata est fides." Sed aliam sententiam immiscuit „audeamus imitari - credamusque" eique quae dicturus erat subiecit. Tusc. V, 42. „An Lacedaemonii, Philippo minitanti per litteras, se omnia quae conarentur prohibiturum, quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus etc." Sed praesto est facillima emendatio „minitante (ut primus Ern. edidit) ita ut nesciam an hoc anacoluthon librarii esse existimandum sit. De II. Tusc. 37. supra disputavimus. Fortasse defendi potest quod Cic. in I. de or. 108. dixit „Nam si ars ita definitur, ut paullo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis et plane cognitis etc." in quo Matthiaeus offendit dixitque „constare eam" vel „effici ex etc." Ciceronem in animo habuisse. Sed nescio an „ars definitur ex etc." dici possit pro „artis definitio repetitur ex —." ut non sit in anacoluthis habendum. Quamquam me aliud eius rei exemplum non habere fateor. Ferri non posse videtur, — quia fieri non potuit ut Cic. dativi proxime superioris oblivisceretur, neque quidquam unde anacoluthon natum sit excogitari potest, quod legitur in V. Tusc. 63. „Quam huic erat miserum, carere consuetudine amicorum etc.!

7

homini praesertim docto a puero et artibus ingenuis erudito! Musicorum vero perstudio*sum*, poetam etiam tragicum: quam bonum nihil ad rem etc." sic, ut „accepimus" vel tale quid post „perstudiosum" excidisse cum Ernestio putandum sit. Huc quoque spectat simodus verbi non convenit particulae unde totum enuntiatum pendet. Sic post „ut" indicativus ponitur III. de off. 45. „Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is qui morti addictus esset, paucos dies commendandorum suorum caussa sibi postulavisset, vas factus *est* alter eius sistendi, ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi." Si quis Gu. secundi testimonium affert, maioris interpunctionis post „fuisse" admittendae: in ea re codicum auctoritas est nulla. Sed haec sententia, quam Gesnerus v. cl. etiam secutus est, quamque Bonn. v. cl. defendit, „hoc animo" ad superiora „viris sapientibus" („Loquor autem de communibus amicitiis; nam in sapientibus viris perfectisque nihil potest esse tale.") referendum esse, „ut" vero exemplo proponendo inservire, ideo displicet quia proxime superioribus de eo dictum est, amicum amici caussa iniuste facere non licere, non de utilitate honestati postponenda. Apparet igitur nostrum exemplum nullo modo eius rei exemplum esse, quod in sapientibus viris perfectisque nihil possit esse tale (ut amicus amici caussa iniuste facere sibi licere putet). Sed Cic. hoc exemplo ad utilitatem honestati postponendam rediit eo consilio ut postea duo haec praecepta dein posita fortius sic distingueret: „Cum igitur id quod utile videtur in amicitia, cum eo quod honestum est comparatur: iaceat utilitatis

species, valeat honestas. Cum autem in amicitia, quae honesta non sunt postulabuntur: religio et fides anteponatur amicitiae." Deinde equidem nescio num plura istorum amicitiae apud ceteres prolata sint exempla, ut Cic. hoc tamquam unum e multis protulerit. Contra, hac una re, quo animo fuerint inter sese isti declarari videtur. II. de or. 23. „Sic enim se res habet, ut, quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suae caussa fingere et construere nidos, easdem autem cum aliquid effecerint, levandi laboris sui caussa, passim ac libere solutas opere volitare, sic nostri animi forensibus negotiis atque urbano opere defessi, gestiunt ac volitare cupiunt etc." Quod duo recentiorum codicum (Regii 7704. et 7753.) coniunctivum habent: nullius momenti est cum ceterorum consensus demonstret indicativum archetypi fuisse. Quod Henrichsenius ad h. l. dicit „verum anacoluthon in sententia non perturbata neque aliter inita aliter continuata, sed rite procedente, nullum esse potest" equidem non intellego cur non potuerit Cic. „ut" initio positi oblivisci. Nam primum quotiens ei talia acciderint satis vidimus, deinde ipsa haec comparatio erat occasio vacillandi. Verr. IV, 15. „At ita studiosus est huius praeclarae existimationis ut putetur in hisce rebus intellegens esse ut nuper — postquam — cum — cum dignitate L. Sisennae domus esset plena hominum honestissimorum accesserit ad argentum, contemplari unumquodque otiose et considerare coeperit." Matthiaens indicativum dicit verum videri quod cum habeant duo mspti apud Graevium et Guelph. Qua in re cum omnia posita sint in codicum auctoritate, qua sola quae lectio tradita sit diiudicari potest, quia quae illa sit nescio rem diiudi-

care non possum. In II. Tusc. 62. Cic. scripsisse traditur: „Videmusne ut apud quos eorum ludorum (nam quod Corradus sive ex cod. suo interpolato, sive ipse ad anacoluthon tollendum sibi excogitavit, scripsit „apud magistros eor. lud." quem secuti sunt Ern. alii: sententiam reddit perversam. Minime enim de magistris agitur sed de ipsis iis qui labores suscipiunt, neque cuius rei apud magistros istos honos sit quaeritur, sed quantos labores ii qui in id certamen descendant, honoris caussa suscipiant. Cicero igitur haec scripsisse traditur). „Videmusne ut apud quos eorum ludorum qui Gymnici nominantur, magnos honos sit, nullum ab iis qui in id certamen descendant, devitari dolorem?" ut has constructiones confuderit „videmusne ut — devitetur —?" et (ut Orelllius edidit) „videmusne — nullum devitari dolorem?" Multa quoque ex prioribus generibus huc spectant.

Oratio initio abrupta non absolvitur eadem forma sed id quod interiectum erat sensim in idem exit in III. de fin. 35. „nec vero perturbationes animorum quae vitam insipientium miseram acerbamque reddunt quas Graesi πάθη appellant, poteram ego, verbum ipsum interpretans, morbos appellare sed non conveniret ad omnia; quis enim misericordiam aut ipsam iracundiam morbum solet dicere? at illi dicunt πάθος: sit igitur perturbatio, quae nomine ipso vitiosa declarari videtur; omnesque eae sunt genere quatuor, partibus plures, aegritudo formido libido quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονήν appellant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam; perturb ationes autem nulla naturae vi commoventur, omniaq ue ea sunt opiniones ac indicia levitatis: itaque

his sapiens semper vacabit," v. Madvigium ad h. l., et in I. de off. 153. „Principesque omnium virtutum illa sapientia quam σοφίαν Graeci vocant; prudentiam enim quam Graeci φρόνησιν, aliam quandam intellegimus. quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia; illa autem sapientia quam principem dixi, rerum est divinarum et humanarum scientia in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Ea si maxima est, ut est certe, necesse est quod a communitate ducatur officium id esse maximum."

Omnis enim Ciceronis oratio eo spectavit ut ostenderet etiam ex sapientiae notione sequi ut communitatis officia maxima essent. His simile est Tusc. IV, 77. Ira vero quae quamdiu perturbat animum dubitationem insaniae non habet cuius impulsu extitit etiam inter fratres tale iurgium etc. Quis homo te etc.?" Nosti quae sequontur. alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae; ut facile appareat, Atrei filios esse eius qui meditatur poenam in fratrem novam. „Maior mihi moles etc." Quae igitur hae erunt moles?" audi Thyestem ipsum: „Impius hortatur etc." Eorum viscera apponit: quid est enim quod non progrediatur eodem ira, quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate id est de consilio de ratione de mente. horum enim potestas in totum animum esse debet."

Aperte „ira" non habet praedicatum. Atque quod Tregderus „quae" uncis inclusit, Ern. „quae" vel deleto „quam" in „quom" mutavit: propterea ferri non posse censeo quia hoc loco nihil minus agebatur quam iram insaniam esse. Enimvero omnem animi perturbationem insaniam esse longe longeque peractum erat. Recte Klotzius Tischerus Heinius anacoluthon hoc esse statue-

runt. Sed immerito Klotzius praedicatum in altera sententia relativa („cuius impulsu") latere contendit. Quamquam enim Heinius frustra negavit omnino talia inveniri (v. I. Nat. deor. 246. h. l. p. 123 et quae infra posita sunt p. 179. Tusc. I. 73) tamen haec praedicati oblivio non tam facilis est quae tam paucis interpositis Ciceroni accidere potuisse videatur, et — quod gravissimum est — sententiarum nexus isti sententiae refragatur. Quod idem dicendum est contra Heinium et Tischerum, id quod Cic. hoc loco dicturus erat, §. 79 demum verbis „ubi sunt ergo etc." proferri putantes. Atque ut sententiarum nexus recte intellegatur primum inspiciendus est locus IV. §. 59. „est etiam in omnibus perturbationibus illa distincto: utrum ad universam perturbationem, quae est aspernatio rationis aut appetitus vehementior; an ad singulas ut ad metum libidinem reliquasque melius adhibeatur oratio: et utrum illud non videatur aegre ferendum ex quo suscepta sit aegritudo an omnium rerum tollenda omnino aegritudo etc." Sic de metu disserit §. 69. Sed quamquam de ipsius metus inconstantia, imbecillitate levitate dicendum est, tamen multum prodest ea quae metuuntur ipsa contemnere."

Inde a cap. 31 ad bonorum opinionem transit, laetitiam et cupiditatem. Mox in §. 65. „Atque hoc quidem commune bonorum et malorum: ut si iam difficile sit persuadere, nihil earum rerum quae perturbent animum aut in bonis aut in malis esse habendum, tamen alia ad alium motum curatio sit adhibenda, aliaque ratione malivolus alia amator, alia rursus anxius alia timidus corrigendus." §. 66. et 67. generaliter dixit de laetitia vitanda §. 68. cum amorem tetigisset ad eum

transit pertractandum. Ac primum ex praecepto suo (§§. 60. et 63.) de levitate amoris dicit, deinde specialia eius remedia proponit §§. 74. et 75. Denique §. 77. ad generalem de levitate eius sententiam redit. Iam postquam §. 77. verbis „Ira vero" subito ad iram transiit, num quid aliud expectari potest quam eum ut de amore sic de ira praecepti illius memorem dicturum esse? Non igitur universam illam sententiam, iram utpote animi perturbationem insaniam esse proponere potuit sed ut supra de amoris levitate sic hic de propria irae insania dicendum erat. Sed ea est difficultas quod specialis irae insania ea est quae praprie insania vel furor dicitur. Haec caussa esse videtur cur interpretes sententiam non recte perspexerint, fortasse etiam cur Ciceroni hoc acciderit. Iam igitur apparet sententiam in fine huius paragraphi absolvi „quid est enim quo non progrediatur eodem ira quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate id est de consilio etc." Deinde ad specialia irae remedia transit. Nec vero quisquam in sententia offenderet si Cic. dixisset. „Ira vero quae — habet quid est quo non eodem progrediatur quo furor? Itaque iratos etc. etc."

Altera rerum comparatarum prorsus desideratur in V. Tusc. 54. „Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse et eum quidem cum repulsa (si cum sapiens et bonus, vir qualis ille fuit suffragiis praeteritur non populus a bono consule potius quam ille a malo populo repulsam fert); sed tamen utrum malles te si potestas esset, semel ut Laelium consulem an ut Cinnam quater?" Dubitari nequit quin Cic. Laelii uno consulatu quatuor Cinnae opponendo demonstrare voluerit, quantum Cinna potentia opibus honore qui quidem vulgo honos videretur,

Laelium superasset, tantum vel multo magis Laelium utpote sapientum Cinna fuisse et maiorem et beatiorem ita ut nemini posset dubium esse utrum praeferret. Nec magis dubium esse potest quin Cic. dicturus fuerit „Similemne putas — Lucii Cinuae quatuor consulatibus.“ eaque sententia sic accipiendo sit, ut unus Laelii consulatus isque cum repulsa quatuor Cinnae iisque summae potentiae splendore ornatis — si non virtutem sed honorem qui in rebus externis positus sit respicis — tantum posthabendus sit ut vix similis dici possit. Quod Vindob. I. et Bern. a sec. manu habent „cum L. Cinnae quatuor“: manifestum est emendandi studium. Sed „quemadmodum Heinius (p. 28.) sibi persuaserit eo postrema verba („sed tamen etc.“) supervacanea reddi non sum qui intellegam. Similem sententiam Cic. inde a §. 37. pluribus persequitur in Archimede et Dionysio comparandis. Prorsus adsentior Heinio (p. 29.) in V. Tusc. 69. „Quo tandem igitur gaudio affici necesse est sapientis animum cum his habitantem pernoctamtemque curis? ut cum totius mundi motus conversionesque perpexerit, sideraque viderit —? septem alia suos quaeque tenere cursus —, quorum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiant? Horum nimirum aspectus impulit illos veteres etc.“ illud „ut cum“ vertenti „wie wenn, z. B. wenn“ quo anacoluthon molestissmum tollitur. Nec minus recte cum plerisque editoribus statuit ferri non posse Tusc. III. 82. et V. 119. Sed quod in III. 82. „Et tamen, ut medici toto corpore curando, minimae etiam parti si condoluit medentur, sic philosophia cum universum aegritudinem sustulit, tamen si quis error aliunde extitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum

obfudit exilium aut eorum quae modo dixi si quid extitit: etsi singularum rerum sunt propriae consolationes, de quibus audies tu quidem cum voles: sed ad eundem fontem revertendum est, aegritudinem procul abesse a sapiente etc.“ in „etsi etc.“ apodosin latere itaque nihil nisi „etsi“ verba delenda esse sibi persuasit, minime placet. Sed inde a cap. 34. Cic. praeter illud generale aegritudinis remedium singulis calamitatibus singulas extare medicinas exposuit. Cum igitur pergat „et tamen ut medici — sic philosophia —“ nullam aliam sententiam prolaturus esse potuit quam „sic philosophia toto animo curando i. c. eo quod universam aegritudinem sustulit, minimae etiam animi parti si condoluit medetur „vel“ omnibus etiam singulis calamitatibus occurrit.“ Atque potuit sane Cic. ex more isto quem supra Madvigii verbis descripsi concessivam sententiam (nihilo minus proprias esse singularum rerum consolationes) concessiva particula suppressa intericere. Id vero luce clarius est hanc sententiam esse non posse quam Cic. in animo habuerit cum comparationem „ut medici — sic philosophia —“ institueret. Itaque non refert utrum „etsi“ admittatur necne.

Duplex igitur agnoscendum est anacoluthon, alterum quod haec duo praedicati (quod quidem sententia sibi deposcit) membra non ad subiectum referuntur, alterum quod altera praedicati pars quae esse debebat „singulis etiam calamitatibus occurrit“ vel tale quid, non recte per particulam „sed“ priori adiungitur; immo etiam sententia mutata est cum pro philosophiae ista proprietate (singulas calamitates eo tollendi quod universam aegritudinem tollit) qua cum medicis comparari potest, generale illud praeceptum substiuitur quod ex ista

phiosophiae proprietate consequi dicendum erat ut Cic. rectius comparatione ad finem perducta addidisset „ergo revertendum est etc.“ Quae anacolutha cum vix invenias qua probabili coniectura, quae quidem lenis sit — tolli possint, neque ulla excogitari possit talis sive erroris sive mutationis voluntate admissae caussa, accidisse hoc Ciceroni putandum est.

Sed „tamen“ post „sustulit“ sententiae quam et ex superioribus in hoc loco necessario inesse vidimus, et in ipsa hac anacolutha oratione subesse intellegi potest, sic repugnat ut librarii, non Ciceronis esse videatur. Fortasse oculorum errore factum est ut superius „tamen“ hic repeteretur. Rectissime offenditur etiam in V. Tusc. 119. „Quod si iis philosophis, quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat, omneque quod honestum nos et laudabile esse dicimus, id illi cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant, et tamen semper beatum censent esse sapientem: quid tandem a Socrate et Platone profectis philosophis faciendum putes?“ Sed adnotandum est „omneque“ tantum in editionibus Gebhardi Vict. Philippi Petri (Ven. MCCCCLXXX.) inveniri, „omne quod“ in Ven. (MCCCCLXXXI.) Cratandriana, Beroaldi, Schurerii, Erasmi, Manutii Lambini ut haec lectio archetypi esse videatur, praesertim si consideres quam facile aliquis deduci potuerit „que“ adiungendo haec ad superiora „quorum — nt —“ referre. Iam si pro „dicant“ scribitur „dicunt“ cui Man. et Lamb. favent, ut apodosis ab „omne“ incipiat, eamque apodoseos priorem partem sic accipis ut „omne dicunt et tamen“ — dicatur pro „quamquam — dicunt, tamen — censent“ id solum offensioni esse

potest quod dativus pendet. Sed hoc non minus ferri potest quam ea exempla quae supra posui p. 96. et 97.

II.

Altera species iterum tota versatur in attractione. Explicatione non egent Brut. 25, 105 „Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat canorum oratorem et volubilem et satis acrem atque eundem et vehementem et valde dulcem et perfacetum fuisse dicebat; addebat industrium etiam etc.“ ibid. 59, 214. Quamquam hoc quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium.“ Phil. IV, 4, 9. „Quis igitur illum consulem nisi latrones putant?“ Brut. 75, 262. „nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta.“ de off. I, 80. „Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur.“ De leg. Man. 5, 11 „Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt:“ de legg. I, 47. „vel ab ea quae penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni etc.“ Durissimum est in I. de off. 142. „Haec autem scientia continentur ea, quam Graeci εὐταξίαν nominant, non *hanc* quam interpretamur modestiam etc.“ Obiecto praemisso Cic. post parenthesin totam sententiam quam dicturus erat tamquam interiectae sententiae partem profert ita ut accusativus pendeat in or. pro Planc. 10, 24. „Aliquid praeterea, timide dico sed tamen dicendum est, non enim opibus non invidiosa gratia non potentia vix ferenda sed commemoratione beneficii sed misericordia sed precibus aliquid attulimus etiam nos.“ Porro

Tusc. I, 73. „Ita commemorat, ut cygni, qui non sine caussa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere vidantur qua providentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur, sic etc." prioris comparationis membri praedicatum quod esse debebat „ut cygni, divinatione, providentes quid —, cum cantu et voluptate moriantur etc.", ex relativa sententia interiecta („qui non sine caussa etc.") pronomine relativo nexum est, qua provid. etc." Similiter praedicatum ad sententiam interiectam referri, cum Gernhardo censeo in I de off. 72. „Capessentibus autem rem publicam nihil minus quam philosophis, haud scio an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum." et pro Flacco 26, 63. „cuius ego civitates disciplinam et gravitatem non solum Graeciae sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam etc."

Atque „sit" coniunctivum (in priore exemplo) per se positum esse ut sententia modestius efferretur, nec vero ab „an" pendere, ut Bonn. v. cl. vult, non prius mihi persuadebo quam etiam indicativi post talem sententiam interiectam positi exempla invenerim. Quod vero ille dicit „der Conjunctiv dient zur Milderung der Behauptung, wird aber wohl etwas mitbestimmt durch das dazwischentretende haud scio an etc.": id quemadmodum fieri possit non intellego. Ceterum cum Cic. nesciat an rem publicam capessentibus *vel magis* adhibenda sit magnificentia et despicientia rer. hum. quam philosophis, id rempublicam capessentibus saltem nihilominus quam philosophis faciendum esse, nullo modo potuit timide et quasi dubitanter proferre sed id quidem certo scire et tamquam rem iudicatam proferre debuit.

Similis ratio est loci qui extat in I de or. 183. „Quid quod usu memoria patrum venit ut pater familias qui ex Hispania Romam venisset, cum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset mortuusque esset intestato et ex utraque filius natus esset: mediocrisne res in controversiam adducta est?“ Luculentum exemplum Cic. prolaturus erat quo demonstraret de libertate ex iure civili contentionem esse posse. Itaque dubitari nequit quin enarrandum fuerit: patrem familias qui cum — reliquisset — duxisset, neque — remisisset, mortuum esse intestato et ex utraque filium natum esse. Sed praedicatum tamquam una ex aequalibus sententiae secundariae partibus profertur „que“ prioribus adiuncta. Sed omnia recte se habere videntur si hoc „que“ deleveris; eoque inclino. Singulare est quod ibid. 5. „Vis enim ut mihi saepe dixisti, quoniam quae pueris aut adulescentulis nobis ex commentariolis nostris incohata ac rudia exciderunt, vix hac aetate digna et hoc usu quem ex caussis quas diximus tot tantisque consecuti sumus, aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri“ protaseos caussalis q. v. a „quoniam“ incipientis praedicatum quod esse debebat, subiecto quod enuntiatione relativa profertur („quae-exiderunt“) appositione adnectitur. Recte hoc Henrichsenio durius videtur quam quod ferri possit sic ut aut cum Lambino aliisque „quoniam quaedam“ aut cum Schuetzio et Harlessio „vix hac sint —“ legendum sit.

ERRATA.

pag. 9 lin. 22 ab in. lege „sermone“ pro „sermonis“.
„ 11 „ 16 „ „ constructione „ constructionis.
„ 13 „ 1 „ „ p. 51 „ p. 84.
„ 13 „ 2 „ „ bis „p. 51“ „ p. 85.
„ 13 „ 2 „ „ p. 55 „ p. 89.
„ 16 „ 28 „ „ p. 57 „ p. 92.
„ 16 „ 28 „ „ p. 63 „ p. 102.
„ 17 „ 5 „ „ p. 52 „ p. 86.
„ 26 „ 26 „ „ et „ est.
„ 32 „ 3 „ „ libero „ libro.
„ 42 „ 18 „ „ qua „ quo.
„ 43 „ 29 „ „ bis „p. 50“ „ p. 82.“
„ 43 „ 29 „ „ p. 51 „ p. 84.
„ 43 „ 30 „ „ p. 51 „ p. 84.
„ 43 „ 30 „ „ p. 51 „ p. 85.
„ 43 „ 31 „ „ p. 51 „ p. 85.
„ 45 „ 4 „ „ partitionis „ partitionibus.
„ 47 „ 4 „ „ p. 40 „ p. 210.
„ 52 „ 1 „ „ somniis „ sommis.
„ 52 „ 17 „ „ 2a „ 2.
„ 55 „ 17 „ „ 3a „ 3.
„ 57 „ 11 „ „ p. 47 „ p. 78.
„ 57 inter lineas 15 et 16 interponendum est „b“.
„ 61 lin. 18 inter „disseruit“ et „Quae“ inserendum est 7.
„ 64 „ 18 lege bis p. 62 pro p. 100.
„ 72 „ 8 „ p. 69 „ p. 111.
„ 72 „ 10 post „tando“ lege sequi pro Sequi.
„ 73 „ 10 lege quo pro quod.
„ 73 „ 22 comma quod est post „partium“ delendum est.
„ 73 „ 22 lege p. 69 pro p. 111.
„ 86 „ 17 „ l. 1. „ p. 1.
„ 92 „ 2 „ quod „ quo.
„ 96 „ 14 post „conditionis„ inserenda sunt verba „(„si sol. t. sit.“)“ quae lin. 15 falso post „nam“ posita sunt.
„ 100 „ 3 lege ex pro et.
„ 100 „ 12 „ magnus „ magnos.
„ 100 „ 14 „ videmusne „ videmesne.
„ 100 lin. ult. „ indicia „ indicia.
„ 101 „ 6 „ dixi „ dici.
„ 101 „ 22 „ quo „ quod.
„ 103 „ 26 comma quod est post „bonus“ delendum est..
„ 104 „ 2 lege sapientem pro sapientum.
„ 104 „ 6 „ accipienda „ accipiendo.
„ 104 „ 19 „ pernoctan- „ pernoctam-.
„ 104 „ 30 „ universam „ nniversum.
„ 105 lin. ult. „ substituitur „ substiuitur.
„ 108 „ 3 „ videantur „ vidantur.

VITA.

Guilelmus Schuppe natus sum d. V. m. Maii anno huius saec. XXXVI Bregae, in oppidulo Silesiae, patre Henrico qui tum erat iudicii provincialis rector, matre Nanny e gente de Metzko adhuc viventibus, fideique addictus sum catholicae. Cum decimum annum excessissem pater qui interim Glogaviam ad maioris ordinis iudicium vocatus erat me gymnasio reg. cath. Glog. quod nunc quoque rectore Eduardo Wentzel V. Ill. floret, tradidit. Eius scholas cum per VIII annos frequentassem, maturitatis testimonio instructus auctumno anni h. saec. LIV adii universitatem Vratislaviensem et inter eius cives a Branissio V. Ill. tunc fasces academicos tenente receptus apud Gitzlerum, qui tunc erat ictorum ordinis decanus nomen professus sum. Vix unum semestre in hanc studiorum partem incubueram, cum tantus theologiae amor me cepit ut ineunte semestri aestivo curarem ut theologorum ordini ascriberer. Tribus tamen semestribus post iterum factum est ut consilium mutarem. Nam theologorum officiis suscipiendis me non satis aptum esse ratus totum me philologiae dare constitui. Itaque huic studiorum parti unum annum Vratislaviae, unum Bonnae, duos Berolini, quo pater interim ad summi ordinis iudicium vocatus erat, operam navavi quam potui maximam. Scholas per hos VI annos frequentavi a VV. Ill. Braniss, Huschke, Gaupp, Elvenich, Baltzer, Ritter, Movers, Friedlieb, Reinkens, Rumpelt, Mosevius, Schmoelders, Haase, Rossbach, Vahlen, Iunkmann, Ritschl, Welcker, Iahn, Schopen, Knoodt, Schmidt, Boeckh, Haupt, Trendelenburg, Keil, Ranke habitas, quibus viris gratias ago quam possum maximas.

THESES.

I. Od. I, 140. IV, 56. XV, 139 ab interpretibus immerito quaeritur quinam cibus εἴδατα significetur.

II. Ibid. ἐπιθεῖσα participium ab interpretibus falso explicatur.

III. Defin. III, 22 ipse Cicero Stoicorum sententiam quam Catonem inducit explicantem aut non recte intellexit aut scribendi aliqua negligentia obscuravit.

IV. Cic. de off. I, 20, 69. „nonnulli“ vox, si logicam spectas, extrudenda videtur.

V. Logica in gymnasiis magis quam fieri solet tractanda est.